



1576










Merlino 8/9/12



IO. CHRYSIPPI FANIANI DE ARTE METALLICÆ Metamorphoseos Liber singularis.

Quo omnia, quæ ad Philosophici lapidis opus pertinent, apertissimè describuntur.

Item

De iure artis Alchemiæ veterum auctorum, & præsertim Iurisconsultorum Iudicia et Responsa ad quæstionem

An Alchemia sit ars legitima.

BASILEAE

Apud Petrum Pernam.

1576.

IO. CHRYSIPPVS FANIANVS IO. PHILOPONO SVO S.



VIRVM *quòd tot tantisq́ue animal sauciatũ vulneribus, tot ægritudinibus diuexatum Medicus sanet pristinæque restituat incolumitati, Philosophus nequeat præditum sua labe metallum excludere, quod minus operosum, multoq́; facilius videtur. Quis autem est, qui si vt animalium, sic inanimorum inspiciat ægritudines, non peruideat thecam illam animæ longè periculosius medicamentis exponi, quàm quod nihil habet præter ægritudinem cum animato commune? Et tamen audet is ipse Medicus ægrotantis & sauciati dubiæ saluti imponere*

manum, Philosophus metallo non audet quasi verò illius non vetatur periculum, huius quàmmaximè, atq; ideo magis impunè quis hominē læserit, quàm metallū. Quòd si quis ex læso metallo adulterinā posse cudi monetam inducat, quin itidem ex læso homine multa posse fieri homicidia induxerit? vt si quis hominē interfecerit impunè, deinceps plures interficere nō metuat? Plus est interficere, quàm decipere. An non is magis est noxius, qui quū se sanaturum ægrotum polliceretur, tamen interfecit, quàm qui prauum numum dederit pro bono? Hîc de bonorū aut particula ipsorum, illic de vitæ amissione agi oportet. Vtrum verò carius? At maiestas, inquies, hîc regia attingitur. An non & illic diuina? Regiæ quoque maiestatis magis interest tolli quem de exercitu, quàm de thesauro numum. An non præterea plus est seruare hominem, quàm publicum augere ærarium?

Decipe-

Decipere verò vel lege permittēte alter alterum possumus: hinc quisque ad rem suam tuendam fit cautior, ac denique ad tuendam Reipublicæ causam. Indignamur hodie si quis fortè communibus à natura hominum facultatibus vtatur, quæ tandem non societate vlla, sed dissidio, non pace, sed bello propriæ effectæ sunt: si quis aliquem interemerit, dissimulamus, eíque parcendum ducimus. Negligimus itaque Dei præceptum, quod est, vt nihilo sese plus, quàm alterū quis diligat. Quod cùm sit amicorum propriū & peculiare, & eorum quidem, vt Pythagoras sentiebat, communia quæcunque, quid ab amicio querimur hodie de peculio nobis aliquid auferri? Atque ideo rectè Socrates execrari eum solebat, qui primus vtilitatem à natura seiunxisset: id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Est equidem & destruere metallum atque deterius facere, & ho

minem interficere vtrumque malum, & quidem altero alterum magis vitãdum: verùm qui sanat, non interficit, non destruit qui restaurat: manus Medici ægro imponitur, non sano & benè habenti: manus itidem Philosophi vili & imperfecto metallo, non caro & perfecto. Committendum itaque vtrunque est & bonis, & peritis hominibus, non iniquis, non etiam indoctis. Quod si ita fiet, erit quod de hominis salubritate, de metalli pretio speremus. Atque ad hoc quidem ars ista, quam veteri & exoso vocabulo Halchemisticen dicimus, magno cum Reipublicæ emolumento, si modò percipi poßit, ab Heroïcis vsque temporibus comparata est. Nosti enim quid de ea magni Phllosophi referant, quid Poetæ, quid etiam Historici. Quæ miracula naturæ nemo non ferè vana & ficta putat, & ad fallendum inuenta. Atque hoc magis, quòd illa ipsa artis præcepta à quouis quo-

uis quotidie teruntur, & ab ijs potiſsimũ accommodantur ad vſum, qui & ingenio parùm valent, et diligentia. Factùm que eſt, neſcio quo fato, niſi fortè quòd nimis abdita, aut incredibilis videtur, vt à permultis literarum bonarum profeſſoribus poſthabita ac neglecta ſit. Quo euenit, vt qui minus de literis meriti ſunt, eam damnent, nedum contemnant: quo quid eſſe poteſt in humanis iniuſtius?

Hoc velim mihi credas, quod te puto exiſtimare, vt niſi quis magnarum ſit artium diſciplinis inſtruſtus, parùm poſsit in hac arte proficere. Eſt enim collecta tum ex naturalibus, tum etiam ex mathematicis ac ſupernaturalibus præceptis. Quæ quoniam tibi perſpecta ſunt & cognita, aditum tibi præſtabunt ad eam patentiorem: ſi modò tibi amplectenda ea ars videtur, quæ præter innumeros naturæ rerum effectus id etiam habet, vt qui eam cõſequetur, poſsit

ſcientiam ſuam multis opibus diuitijsq́ue cumulare. Sed ſi noſtra leges quo es vide licet acutiſſimo ingenio, iudicio peracri, cognitione rerum multarum, memoria tenaci capaciſſima, id non dubito quin fa cilè conſequare. Atque eò præſertim & ſcriptum tibi, & dicatum hunc librum, quod etiam me facturum per literas antè promiſeram, exiſtimes velim. Lutetiæ, 14. Calen. Nouemb. 1559.

Ἰώαν. Χρυσίπ. Φανιανοῦ ὡς ἀναγνωστήν.

Ἄργυρον χρυσὸν μεταβάλλειν ἠδὲ διδάσκει
  Λοιπά τ', ἀναγνωστὴς, πάντα μέταλλα βίβλος,
Θαῦμαθ' ἑνὸς λίθακος καὶ πᾶσιν ἄπιστα κελάδων·
  Τῷδε θεὸς πόρεν ἦρ ἐξαλάειν πενίαν.
Εἰ γοῦν πλοῦτον ἔχειν ἐθέλεις ταχέως, ἐπὶ τοῦτον
  Βίβλον ἐπίστρεψον γ' ὄμματα, σὺν δὲ νόῳ.

Ad eundem.

Quæ te torquebant aliorum ænigmata, Lector,
  Explicat iſta modò pagina rara tibi:
Poſſit vt abſtruſo quicquid natura lapillo
  Condidit, ingenuis arte patêre viris:
Poſſit & argentum ſubitò vel Cinclus in aurum
  Vertere qui præſens calleat artis opus.
Ergo age naturæ loca inacceſſa hacce potentis
  Arte petas, liber hic dum tibi monſtrat iter.

IOANNES CHRYSIPPVS FANIANVS

Michaeli filio Regis Bugiæ

S. D.

LVtetiæ vnà cùm essemus, postquam rogatu tuo ita de te ad Henricum Regem scripsi vt non te lateat haud parum contulisse tibi scripturam meam, libuit tibi editionem eam, quam de libro artis metallicæ metamorphoseos Philopono meo paulò antè receperam, mihi non vulgariter commendare. Quod ego placitum tuum secutus dedi operam, vt quàm primùm post discessum tuum liber exiret. Eum nunc tibi mitto editum, atque ita editum, vt non nisi à te & Philopono meo planè possit intelligi. Quòd si ita tibi probè editus videtur, satisfecisse me arbitror voluntati tuæ: sin aliter, in causa esse putes nimiam seueritatem tuam. Cùm enim displicere nollem, populo hac in re, quod ne æquum quidem videbatur, commodare non potui. Secutus es ipse quidem Alexandrum: ego verò, sed disparibus tamen in rebus, Aristotelem. Vale.

IOANNIS CHRYSIPPI FANIANI DE ARTE METALLICAE

Metamorphoseos ad Philoponum.



Ars ad metallica multiplex.

NTEREA, quæ de Metallis proferuntur, nihil eſt admirabilius arte metallicæ metamorphoſeos, ad quam accedunt aliæ duæ, vt ſint tres in hoc genere, quibus in primis vtamur, artes: vna fodinarum (fruſtra enim aurum, & argentum, ęs, ferrum natura diuina genuiſſet, niſi eadem docuiſſet quemadmodum ad eorum venas perueniretur) altera liquandi metalla ipſa ſeu pumices arrugicos, atque inde conficiendi quiduis, quę

& fa-

& fabrilis dicitur, & chemiſtica ἀπὸ τῆς χημείας. Quid nanque iuuaret inuenta materia, niſi confectionis eius fabricam haberemus? tertia metamorphoſeos, de qua hoc libro dicere inſtituimus, vocatúrque Halchemiſtice, ab halchemia. ἅλα enim Græci ſalem appellant, χημείαν, fuſionem: & hæc ars circa fuſilem quendam ſalem peculiariter verſatur. Ita cum vtilitate, quã Deus hominibus dedit, ars aliqua coniuncta eſt, per quam illa vtilitas percipi poſsit. Duę priores mechanicæ, atque chirurgicæ: hæc vna pars eſt philoſophiæ eius, quæ circa rerum naturam cauſasque vertitur. Docet enim & metallorum, & cæterarum quoq; rerum, quæ cum his aliquo naturæ vinculo coniunctę ſunt, naturas, atque cauſas. Diuiditur autẽ in duas par

Ars Chemiſtica.

Halchemiſtice.

Diuisio artis. teis. Prima inuentionis est, & theroice dicitur: secunda dispositionis, quæ practice appellatur. Ergo primum de inuentione, in qua metallorum naturam, non omnium quidem, sed eorum duntaxat, quæ ad opus ipsum metallicæ metamorphoseos propius accedunt, inuestigabimus: post deinde de secunda parte dicemus.

Finis multiplex studij metallorum. Metalla alia opibus, alia delicijs, alia temeritati fodiuntur. Nam aurum, cui persæpe ęs: & argentum, cui stannum, et plumbum adnascitur, diuitiarum, vt ferrum belli cædisque, & gemmæ pigmentaque voluptatis gratia quæruntur. Metalla unde, Metalla autem Græci vel à μεταλλάω, quod perscrutor significat (solemus enim intra terræ venas metalla scrutari) vel

Notatio. ἀπὸ τοῦ μετὰ τὰ ἄλλα ζητεῖσθαι, quòd alia post alia inueniantur.

tur. Ita Plinius, quòd vbicunque vna inuenta vena eſt, non procul inuenitur alia, quod quidem & in omni ferè materia, metalla Græcis dicta exiſtimat. Aurum ex ſulphure rubro, ſplēdido, ignib. inexpugnabili, tenuiſsimo, defecatiſsimoq; argento viuo, optima commixtione purum atque rutilum concreſcit. Sed auro alio aliud melius. Melius id, quod decoctum magis, digeſtumque eſt, coruſcos indicis perferens affrictus. Nullum aliud metallum laxius dilatatur, aut numeroſius diuiditur. Argentum tinnulum eſt, dulce ſonans, perſplendidum, ex candido & prætenui, ſed paululum vnguinoſo ſulphure, nec ſatis cocto, & argento viuo ſubtili, ac defæcato non benè commixtis concretum. In generatione enim argenti, plus

Auri generatio.

Auri delectus.

Auri docilitas.

Argenti generatio.

ſulphuris concurrit, quàm argenti viui: quod inde facile eſt deprehendere, quòd cùm auro miſcetur, eius colorem inducit. Quum autem color & auri & argenti è ſulphure prodeat, ceu forma in argentum viuum, id eſt, materiam ipſam agente, & vis coloris ſit in hoc, quã in illo maior, conſequens eſt in hoc quoque plus ſulphuris ineſſe. Inde eſt, vt in argento negemus æquam ſulphuris & argenti viui commixtionem, quod & ipſa experientia apertiſsimè oſtendit. Siquidem in igne, longo tempore ardens ac ignitum, in niueum tandem puluerem deficit: auolátque argenti viui quicquid ſuperuacuum offenditur. Quare æqualitate vtriusque ſubſtantię tum aurum æquat, commixtione nequaquam. Sulphur enim argenti cùm non

Color auri & argenti vnde.

Naturæ peccatum in argento, ab ipſa experientia.

Auri & argenti diſcrimen,

non sit satis digestum, etiamnum vnguinosi nonnihil habet: quod cùm argento viuo contrarium existat, debitam impedit commixtionem, auolanteque argento viuo, comburitur & perit. Vnde quoque est, vt igne minuatur argentum, tandemque dispareat. Eadem ratione fateri cogimur in auro puto æquam esse sulphuris atque argenti viui lancem. Quantumuis enim ignitum nequicquã minuitur: immo verò, vel Plinio teste, quò sæpius ardet, efficitur perfectius. Quod fit propter æqualem sulphuris & argenti viui in eius generatione concursum, & puritatem. Æqualitas enim, quæ, vt Pythagoræ placet, amicitiæ tum parens est, tum altrix, tam inuictæ in eo compositionis, vt in cæteris quoq; reb. causa est. Dixi aũt auro

Naturæ in auro integritas.

Argentũ natura in auro.

puto: Solet enim, vt plurimum, è suis cuniculis erui vtcunq; argentum continens. Quod si argenti viui plus haberet, igne euolaret superfluum, minueretur que ipsa auri moles. Argentum enim viuum omne sine sulphure fugacissimũ est: à sulphure autem retinetur æqualitatis proportione seruata. Alioquin si plus mole sua auri sulphur argenti viui retineret, aurũ ipsum quicquid attingeret sibiq; adglutinaret, idipsum ob sui sulphuris intentionem retineret, faceretque suæ naturæ: neque opus esset tot ambagibus ad decantatissimum illum lapidem philosophorum, quo teius authores prodiderunt. Nec verò inficias iuero esse, aut fuisse nonnullos, qui paruo aliquo auri frustulo, pulueris interdum, interdum quoque humi-

Argentum viuum fugax sine sulphure.

Digressio.

Antipophora.

midioris materiei formam referẽte, quod vtrunque tamen nihil aliud, quàm auri ipsius spiritus, atque igneus quidam vapor, quem Heraclitus animam esse dicebat, argentum, æs, stannum, plumbũ, ferrum & argentum viuum in aurum conuerterint: quod et vidisse se, & nouisse facere Cornelius Agrippa in suis de occulta philosophia libris scriptum reliquit, & refert Marsilius Ficinus fieri: verùm id frustulum non tam sola auri forma, aut materia est, quàm purioris pars, atque vegetioris, quæ in ipsius centro inclusa erat, ex vtroque concreta, artificioq́ue elicita. Sunt enim elementa ipsa, authore Aristotele, cum reb. reliquis naturalibus in suo centro purissima: & ea pars auri, ipsius semen est, spiritus, atq; anima, qua aiunt, ipsum

Mira auri spiritus vis

viuere: quęue, si cōueniēter educetur, sit aliquādo futura vegetior, paulatim igne promouens in ampliores vires. Ignis enim, vt quidā ait, ipsius est pabulum & alimentum: atque vel ob hoc à nonnullis salamandra nominatur, & ego dixi igneum vaporem: hac etiam de causa appellatur pyraustam: quodque vegeat, herbam virentem: & Phœnicem, quòd vnicus sit ille tam stupendæ naturæ spiritus, ac quòd præcipuos acquirat colores, nigredinem & albedinē, Moly herbam, quam Homerus ait radicem quidem habere nigrā, sed florem lacteum. Ita enim ille Odyss. 10.

Auri spiritus nomina varia.

Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος,
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι. Quib. quid aliud designasse huius artis peritis videri,

ri, quàm eum, aut si qua alia est illius ipsius philosophici lapilli materia, spiritum potest? Est enim is euulsionis è sua terra, in qua altas iam ferè radices egit, difficillimæ: & lapidi illi perinde arduę vulsuræ, vim expellendi omnigenum mœrorem, ægritudinemque veteres tribuêre, vt verè eo nomine Moly appellari posit, atq; in aurum vel argentum cõuertendi reliqua metalla mutabilia, sicuti stãnum, ęs, plumbum, ferrum, argentum viuum: quod & spiritum istum sibi vendicare docuimus. Hinc meritò eum Moly, & salutẽ metallorum vocauerimus. Neque enim tantum supra terram, vt apud Ciceronem est, sed in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet vtilitas: quæ ad vsum hominum orta, ab hominibus solis in-

Auri spiritus cum lapide philosophico cõparatio.

Salus metallorum.

uenitur: metallorumque salus inclusa in his ipsis est: quę euellenda et extrahenda penitus, non circuncidenda, nec amputanda est. Sed quo maior in eis præstantia & diuinior, eò maiore indigent diligentia. Conueniet autem in primis sumpsisse ἄλυπον, atque adeò illud Helenes pharmacum, quod luctusque, bilisque, malique obliuia cunctis bibentibus inducebat. Post deinde soluenda auri cōpago, vti spiritus naturalis, quo inclusus est, occultè subterelabente monumento oboriatur, oculorū aciem multipliciter perstringens. Istuc enim tabernaculum instar silicis ei circumdedit natura: quo priusquam fuerit exolutus, cognatum q; æthera petierit, nullas flammas edit, ne vitæ quidem vllius habiturus est consuetudinem. Vbi

vero

verò excessit è fragilibus, per quos sparsus erat, meatibus, estq; ab omni prorsum colluuie purgatus, in infinitas se attollit formas: modoque in herbam gignit, modò in lapidem, aut in insolitum quoddam animal, interdum in æquor, aut vnionem, aut gemmam, aut metallum: dulceque rubentibus iam flammis emicans, in multas statim colorum myriadas variat, viuitque portentorum semper effector ac magus, isto nequaquam fatiscens labore, sed vigore ac viribus indies adolescens. Quod quoniam crebrò à nobis contenditur quid sit, quóue possit modo tenebroso isto carcere liberari, deinceps explanabimus. Iam enim ad hanc artem omne ferè translatum est certamen multo honore quæstuque vigentissimam, atque, vt à

Spiritus auri formæ variæ.

Huius artis vis, ab exemplo.

Suida traditur, Ægyptiorum olim contra feros & formidabiles Diocletiani impetus diu seruatricem, dum in vllius honestioris fructuosiorisque rei labore vigilari non poterat. Sunt itaque qui aurum dispensent, ex eoq; vicissim secernendi elemēta nullum faciant finem, dum putissima quædam, nullisque naturalibus obnoxia inquietudinibus natura subsederit, quod quintum aiunt elementum, seu corporeæ substantiæ temperamentum esse. Est enim id velut quinta quædam natura ab Aristotele inducta, quæ soluta & libera & segregata ab omni concretione mortali, terra vacat & humore, nec flabilis est, nec ignea: sed seiuncta ab ijs vsitatis notisque naturis, cœlestis magis habetur substantia. Vtuntur autem ad hanc rem

Auri spiritus quid.

Modus educēdi auri spiritum.

lauacro:

lauacro: in quo vi ignis suppositi remissa, auri quasi sordes absorbētur, abeuntque in intimam munditiem omnia: obdura quoque, ac tātum non adamantæa ipsius moles contunditur, interioremque subit liquationem atque interitū absque intertrimento: ne quis fortasse putet tam integrum in omnem partem metallum igne aliquotfariam posse attenuari, quo vel ob id maximè reliquis omnibus prælatum esse in suis naturæ historiarum libris Plinius scribat, quòd vni rerum nihil igni depereat, tutò in incendijs rogisque durante, quoque sæpius arserit, hoc magis proficiente ad bonitatem materia. Tametsi nanque eadem ipsa moles immanitate, ponderéque decidit: viribus tamen permanet, nec est vnquam quicquam

Auri præstantia.

defectura: nec verò ſolùm, quod ipſi haud citra miraculum peculiare eſt, non fit deterior, ſed magis atque magis eniteſcit. Demigrat de ſtatu quidem ſuo, nouum ſibi vt ingenium induat; deijcit de pōdere, ipſumq́; leuitate permutat: fitq́ue in ea, vti paucis verum abſoluam: & duritiei, & reliquarum prorſus omnium qualitatum viciſsitudo. Sed & vires, quas antea habuerat, hoc tranſitu nobilitatas recipit, multoq́ue priſtinis vegetiores, & inexhauſto quodam renitentes ſplendore. οὕτως καὶ ὁ χρυσὸς ἑψόμενος, vt Pindarus ait, αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας. Huic enim occulta ea vis initiò inſtar igniculorum quorundam ineſt, quæ ſuſcepto paulatim incremento, tandem ad faſtigium, atque adeò ad fabulę, quod dici ſolet, cataſtrophen erumpit:

Pindari de auro ſententia.

Auri occulta vis.

actum

ac tum tale ferè quiddam poteſt, quale de Lynceo ſcribit Plutarchus: ſaxa quoque & arbores oculorum acie penetraſſe. Eſt enim ei ex adaucto ingenij ſui acumine tanta penetrandi vis quæſita, vt metallis ſit omnibus ὄστρακον, quod dicitur, περιστροφή. Atqui ſunt nonnulli, qui argenti requirant ſpumam, aut argentum viuum, aut argentum ipſiſsimum, aut ouum, capillos, aut humanum ſanguinẽ, aut vrinam, aut vinum, acetũ, aut herbam, vt dicunt, Lunariam: atque iſti quidem commemorandis varijs & horrendis nominib. nos territant, cùm hæc omnia vna gens ſit: atque ita ex vno, vt in prouerbio eſt, multa faciunt. Sed redeamus ad argentum. De lapidis enim materia, quoniam inter huiuſce artis maximos authores non

Variæ opiniones de lapide philoſoph. diſſerentium.

parua contentio est, alio loco nobis copiosius disputandum. *Argenti sulphur.* Argentum ergo sulphur habet, vt superius docuimus, paulùm admodum vnguinosum: quo fit, vt igni distabescat. Dixi paulum admodum: habet enim fermè omne nõnihil in centro sulphuris digesti: *Aurum natura in argento.* proinde omne propemodum etiã aurigerum est. Cuius rei periculum fieri consueuit chrysulca. *Chrysulcæ effectus.* Hęc enim argentum inuolat, diducítque ab auro siderati cruoris instar sidente, incorruptoque emergente. *Causa tinnitus argenti.* Dulcioris tinnitus eius causa est subtilitas argenti viui, glutén-que sulphuris. Quòd autem sulphure constet glutinoso, vsu quisque discere poterit, vbi hydrargy- *Hydrargyri et sulphuris vulgaris mirum authoris experimentum.* ro sulphur supposuerit vulgare, quod totum gluten est: ex ijs enim duobus intra mẽsem viderit

argentum

argentum puriſsimum concreſce-
re, vti nos quoque vidimus, tem-
pore & loco vſi ad hoc aptis. Au- *Auri argẽtique delectus.*
rum argentumq́ue quo mollius,
eo pulchrius. Stannum ex tenui *Stanni generatio.*
ſulphure ac ſubtili, & argento vi-
uo præpingui & denſo malè mix-
tis compactum reperitur, hoc e-
tiam nomine ſtridulum. Cum ar-
gento naſcitur, mixtisq́ue venis
conflatur. Plumbi duo genera, ni- *Plumbi genera.*
grum atque candidum. Pretioſiſ-
ſimum candidum. Nigri duplex
eſt origo: aut enim ſua prouenit
vena, aut cum argento & ſtanno
naſcitur. Vtrunque ex vnguino- *Plumbum ex quibus conſtet.*
ſo, bituminoſoq́ue ſulphure & e-
iuſdem qualitatis argento viuo
conſtat. Quod iudicare facile, vbi
candente licio in virulentum fu- *Mira plũbi metamorphoſis ab ipſo autore inuẽt.*
mum abijt, nulla relicta calce. De-
purgatum, in aurum et argentum

vertere ipſo experimento didicimus. Tunditur primùm emolliturq́ue liquido quodam in calice chutræ ſeu teſtulę, indidemq̀ue conijcitur in ampullam vitream, vt ſmegmati ſuo inſpergatur: ita ſuis ſtrigmentis ſpoliatum euadit nitidum. Datur & deinde licio, ac ſi quid eſt impuri reliquum, ignibus exoleſcit, argento cum auro reſiduis. Sed aſciſcendũ aliquatenus argentum viuum pro ratione materiæ. Huic metallorum ſoli incrementum concedit Galenus: quod, vt Plinius author eſt, derelictum fertilius reuiuiſcit. Æs & ferrum eiuſdem penè compoſitionis ſunt: niſi quod hoc minus habet argenti viui, ſulphuris plus & vnguinoſioris atque ideo duriſsimũ vixq́ue flexibile. Hoc ſolum etiàm difficulter liqueſcit. Æs minus eſt

Incrementum ſoli plumbo attributum.

Aeris & Ferri diſcrimen.

Ferrum.

Aes.

cęteris

cæteris fusile, minus etiam habens argenti viui. Sulphur autẽ ipsius proximè accedit ad maturitatem. paulumq́ue abest à debita decoctione, quod ipsum æs coruscum efficit. Cum argento coniunctum ipsum reddit vocalius, inq; suum colorem conuertit: quod è sulphuris in eo redundantia accidit. Sed hactenus de auro, argento, ære, stãno, plumbo, & ferro: deinceps de alijs metallis. Iamq́ue primùm omnium occurrunt sulphur illud vulgare atque extrarium & argentum viuum. Hoc sulphur terrestri videtur esse bitumine quodam commistum, quod & Vergilius in Ætna scribit, & ad plumbi formam suscipiendam idoneum aduentu peculiaris sibi argenti viui, quod in plumbo inest. Virus est atque fex sulphuris metallorum

Aeris sulphur.

Aes cum argento.

Color metallorum vnde.

Sulphur vulgare.

omnium ipſius ſubtilitatem ali-
qua ex parte referens, ſic vt concur
ſu argenti viui nonnunquam in
metallum induretur etiam pretio
ſum, agente calore. Id equidem
ſum expertus in minio factitio,
quod ex argento viuo & ſulphure
conflatur: nonnulli cinnabarim
appellant. Ex eius enim drachma
Argẽtum ex minio factitio. licio argẽti puri obolum exprom-
pſimus. Vbi verò maxima iſtius
ſulphuris contingui, nullisq́ue pu
micibus aut cautibus implexis hu
bertas vehementem ſolarium ra-
diorum calorem reflectit, conti-
nuò ardet, locumq́; ipſum metalli
cæ generationis beneficio diſpo-
liat. Internus quoque vapor hanc
materiam quandoque ſolus ac-
cendit. Argentum viuum la-
Argentum viuum. tentem quoque, vt ſulphur, in ſe
quendam

quendam habet ſpirabilem calorem, vegetumque ſpiritum, auri argentique ſemen, vbi pulſu agitatur externo quod pluchrum & ſuſpiciendum arcanum in hac arte eſt. Idem & aurum, & metalla reliqua exterit, mollit, imminuit, in ſeque conuertit. Eſt autem argentum viuum, vt pleriſque placet, aqua multum viſcoſa, ac proinde ſicca magis, quàm humida. Addidi multum: omnis enim aqua aliquantillum viſcoſa & glutinoſa eſt: quod intrinſecæ penitiſsimæque eius ſubſtantiæ in ipſo etiam latere efficiẽtia declarat. Later enim initio diſtrita in pulueris modum, atque adeò in inſectiles quaſdã atomos diſtracta terra, aqua coagmentatur in maſſam, quæ euaneſcente liquido tandem indureſcit. Calor

Vis argenti viui & definitio.

Omnem aquam viſcoſam, ab exemplo.

enim circumpauiens, atque ipsius etiam terræ ariditas aquæ diluentem humorem propellit, retento glutino. Aliter autem quî potest manere cõpages, qua sublata rursum puluis fuerit later, aut vda formaluti? De auripigmento, pyrite, stibio, chrysocolla, alumine, chalchanto, & id genus reliquis (subsequuntur enim ista) id obiter dicam, nihil aut parum ad lapidem conferre. Conferunt alia ad extrinsecus dealbandum, inaurandumque. alia ad solidandum et abstergendum, ad chrysulcam alia: quæ quomodo fiant, quid attinet enarrare? Vnum hoc minimè prætereundum videter, auripigmentum auri quoque venam esse quãdam, sed inopem atque indigam. Refert Plinius, Caium principem huius excoqui iussisse pondus ingens,

Auripigmenti exemplum.

gens,

gens, fecisseque aurum omni specillo probatissimum, sed ita exigui ponderis, vt damnum sentiret. Pyrites totus argẽtum viuum & sulphur. Alumen autem ferunt olim inuentum fodiendi finem fuisse. Qua ratione, prorsus sum ignotus: cùm sit salsugo terræ in argentum viuum promouentis, & inuenta fuerit æris vena infra alumen alba. Verùm quoniam de metamorphosi metallica nobis propositus est sermo, & eam circa salem fusilem quendam versari, vnde halchemistices nomen habuerit demonstrauimus, porrò & metallorum ad hanc artem spectantium naturam, causasq; quadantenus (traduntur enim ista à Plinio copiosissimè) explicuimus: videndum deinceps quodnam ex ijs, quidnamve aliud eum pariat *Pyrites.* *Alumen.*

Variæ de materia salis philosophici opinationes. salem, vnde potissimũ eliciendus sit. Alij nanq; eum eliciendum ex auro argentoq; profitentur, quorum plerique omnes disciplinam pertinacissimè & mordicus tenemus: alij ex auro solo, alij ex vtroq; & argento viuo, atque id quidem *Opinatio Gebri.* alij alijs modis. Nam & Geber libro, cui titulus, Testamentum, aurum & argentum in calcem extremo quodam ac diutino igne verti, calcemque postmodum discussoria vi quadã vaporis aquæ subditis ignibus efferuescentis in laticem resolui, ac mox in salem gelari *Opinatio Arnaldi à villa noua.* scribit. Et Arnaldus à Villanoua in calcem eadem abire tradit argentei cuiusdã liquoris ope commodùm depurgati multis humescentibus discoctionibus. *Opinatio Lullij.* Lullius autem, qui paulò hac in re Arnaldo ac Gebro religiosior est, præ-

cipit

cipit aſſumendum vinum album, vel rubrum, vel rubeum, atque innumeris vaporarijs ſic aſſuefaciendum, vt in calcem exeat, aut vaneſcat prorſus, ſubſidente tamen exili atq; imperceptiore quadam ſubſtantia, quam velut quintam illam rerum omnium, quæ ſub concauo cœli Lunæ continentur vim, ſeu mundi animam eſſe innuit. Hac ſupradictum ſpiritum è ſuo corpore depurari contendit. Cuius fermè calculi eſt, præterquam quòd deſtillationem ſubticet, Aurelius Augurellus in ſuis de Chryſopeia libris. *Opinatio Aurelij Augurelli.* Albertus autem cognomēto Magnus omnium, qui hanc artem *Opinatio Alberti Magni.* tractauerunt, diſputator multorum conſenſu acerrimus cum Arnaldo verbis ferè diſsidet, re conſiſtit. At Pantheus iſtorum *Opinatio Panthei.*

nup erus ſcriptor ſignis quibuſ-
dam ignitis docet aurum ita poſſe
Varij modi ad lapidem philoſoph. molleſcere, vt in aquam illam cor-
rumpentem αὐτόθεν, vt Græci di-
cunt, ac ſui natura quandoque e-
mergat. Libri autem permulti,
quorum inſcriptio nullum præ ſe
fert autorem, alios modos habẽt,
veluti ſcandente ſpiritu, corporis
eleuationem, quod ſublimationẽ
appellant, &, vt eorum vtar voca-
bulo, fixationem, quę eſt partium
vtriuſque colligatio quædam, in-
duratio, atque conſumptio in pul
uerem. Prætereo hîc quæ ijdem i-
pſi habent diſſolutionem, deſtil-
lationem, coagulationem, cerifi-
cationem, et id genus permulta ea
de re etiam prętermittenda, quòd
nihil aliud ad hoc negocium, quã
tenebras atque caliginem offun-
dant. Atque haud ferè vllus eſt,
qui

qui Halchemisticæ istius discipli-
nę pręcepta dilucidè, quod sciam,
hactenus enarrarit: omnes omnia
ænigmate ac prodigiosa quadam
oratione data opera occuluerunt.
Neque ab re profectò: Non enim
fas videbatur tanta mysteria non
ænigmatum inuolucris quibus-
dam, ac verborum portẽtis inuol-
uere, vt videlicet eo nomine pro-
phana ab illis, tanquam ab Eleusi
nis, turba perpetuum abacta fie-
ret ad audendum exanimatior.
Ecquid enim absurdius, intolera-
biliusque, quàm inconditæ, insa-
næque plebeculæ vulgus tam in-
expugnabilibus fretum pręsidijs,
alioquin etiam iam satis cornua
tollens insolentius abire? Sic Py-
thagoras & Plato suam philoso-
phiam numeris suis obscurarunt:
& Aristoteles libros aliquot edi-

Omnia de hac arte mandata literis ænigmatica

disse se perinde, ac si non fuissent editi, futuros quadam ad Alexandrum epistola testatur. Sic & Lullius suum vinum ita durè ac peregrinè tractandum scribit, dum in cinerem, aut quid aliud leuius deficiat, aut penitus euanescat. Ita tractatum asserit quintam illam suam naturã euomere. Ea autem ad suum lapidem vtitur: cæterùm lapide ad metalla reformanda, nobilitandaque. Cedo quæso quid nam cũ metallis vino est, aut fuit vnquam, aut fore etiã putas commune? Non minus à natura dissentire videtur ille, quàm qui ex asino hominem, ex homine leonem enasci putat, aut aliud quippiam alienius. Perge verò quot horrenda ex literarum notis sibi ac sui studiosis passim monstra confingit? Vt sæpè b, assumendum, relinquendum,

quendum, t, & a, in r mutandum, aut, si mauis, r, in a, & mille alia (libet enim paulisper agere personatum Momum, & acriori criminatione Lullium insectari) iubet deridicula: itáq; legentis animum impudenter eludens, literarũ illi mutuas pro lapidis philosophici descriptione vicissitudines, obtrudit? At designant, inquies, eę literæ singula, quibus ad perficiendũ illum lapidem est opus. Designantur profectò res, quæ neq; cœlum, neq; terram attingũt. Quid enim menstruum seu mẽstruale? Quid lunaria rectificata, sal petræ, quinta essentia, & eius generis innumerabilia, inter se etiam plurimùm diuersa, ad singularem & vnicum lapidem? Tametsi enim ille siue lapis est, siue quid aliud lapidi non prorsum absimile, se

in multas ac varias vertit formas, editque res, quæ à natura sua vidẽtur remotissimæ, cùm tñ nihil distent, res tamen ita est vsque ab initio vna: nec alieni ad se quicquã admittit, alioqui in cassum abituris omnibus. Atque ideo iure à

Operis philosophici descriptio.

permultis manifesti mẽdacij Lullius insimulatur: nisi fortè depresso illo vini in quintam vsque substantiam liquore materia commodissimè lapidis educitur, aut potius hoc opus est, quod mihi aliquando ob oculos posuit vnicus

Fornaces,

Execestides, magnas quippe fornaces, atque vitro easdem vario re

Vasa.

dimitas ostendens. Vasa erant, singula in suis sedilibus habentia sedimenta, atque interius Dispatri di

Materia lapidis.

catum sacrumque munus. Quid enim rem tam diuinam celem diutius? Erat autem intus circuma-

cta

ſta moles quædam mundi præ ſe ferens imaginem ipſiſsimi: Quippe ibi terra videbatur in medio omnium conſiſtens, aquiſque circunfuſa limpidiſsimis in varios colles, ſalebroſasque rupes aſſurgebat, fructum ferens multiplicē, tanquam humentis aeris imbrib. tempori irrigua. Vini quippe videbatur, ſimul & olei, & lactis, atque pretioſorum omne genus lapidum, & metallorum eſſe apprime ferax. Tum aquæ ipſæ, inſtar æquoris, ſale quodam pellucido, albo interdum, interdum quoq; rubeo, aut fuluo, aut rubro, multiſque præterea variegato coloribus in litus, inque ſuperficiem ipſam æſtuabant. Igne autem hæc omnia ſuo, ſed impercepto quidem illo, atque ætherio mouebantur. Id vero præ cæteris vnum incredi

Formæ variæ.

Ignis.

bilem me rapiebat in admiratio-
nem, quòd rem hæc tam multa
vnicam, tam diuersa, tamque in
ſuo genere integra ſingula, paruo
etiamnum, imbecelliq́ue admini-
culo producere, quo facto paula-
tim robuſtiore, redirent tandem
atque coaleſcerent in vnum om-
nia fidenter aſſeuerabat. Hîc equi
dem obſeruaui fuſilis illam ſalis
ſpeciem nihil ab aphrolitho dege
nerantem, atque argentum illud
viuum, cui Mercurij nomen ab
huiuſce diſciplinæ priſcis authori
bus inditum eſt, illam ipſam refe-
rēs Lullianam lunariam, aduerſa
ſcandens aqua, noctuq; relucens,
atque interdiu, glutinandi prędi-
tum facultate. Hîc et menſtruum,
quo lunam Lullius intelligit, qua
neglecta non ſit paralyſi locus.
Quid enim rurſus eum ab obiecta
tioni-

Sal philoſophicum.

Argentū viuum philoſoph.

Menſtruū quid Lullio.

tionibus vindicem, quem idcirco demum libuit lacessere, uti disputatione res ipsa clarius elucesceret? Quemadmodum autem poetæ pro mense nonnunquam Lunam usurpant, pro die solem, quia Sol singulis dieb. cursum ad cœli motum peragit, Luna non nisi singulis mensibus: sic è cõtrario Lullius pro luna mensem accipit, menstruamque ea ratione ipsam appellat. Sed & quintam vini substantiam dixit pro gemmifero amne, quæ ipsa lapidum materia est: ubi videntur aspilatæ, aureæ nitellæ, sardonychi, lychnites, sardæ, lapis specularis, omnigeni uniones, & gemmæ. Porrò si literarũ usus est notis, idem fecit & Aristoteles. Neq; de Lullio, quod ita obsoletè ac peregrinè scribat, magis mirandũ quàm de Aristotele, Siquidẽ & Arist.

Materiæ lapidis philosoph. descriptio.

Ouum phi losophorũ. ipſe libro de ſecretis ſecretorum (ſi modò is liber Ariſtotelis eſt) lapidem animalem, vegetalem, & metallicum ouum nominat: & hoc *Ouum faba Pythagoræ.* Pythagoras, ſi Marcello credimus, fabam. Et Cœlius in ouo totã conſiſtere mundi machinam ſimi*Mira de ouo.*litudine quadam lib. antiq. lec. quarto & decimo expreſsit, cruſtã, ſeu corticem ipſius terram appellans, proximum huic humorem frigentem humectumq́;, aquam, quod ineſt ſpiritoſum, calens, humensque, aerem, vitellum ignem. Cui calculum adijcere mediocritatem caloris, quam obtinet, aridiorem que naturam addidit, ſimul & colorem, et globatam figuram, vimque ei innatam vitalem, veluti & mundo. Nec deſunt qui progrediantur, atque, vt illi faciunt, prodigioſe loquantur, & ipſum a-

uium

uium cor, quod vitelli meditulliũ atque adeò centrum tenet, quintam naturam appellent. Quid ꝙ multa à magis admirabilia in ouo fieri teſtantur, vt ſerpentes, & formam ſimilem hominis, quam mirandis virtutibus efficacem perhibent, & veram mandragoram dicunt? Lac deinde illud gallinaceum, quod inuẽtu rarum, vt in prouerbium abierit, ὀρνίθων γάλα, opulentis, & quibus quiduis rerum ſuppeditat accommodatiſsimum, de quo plura Deſ. Eraſmus ex Ariſtophane, Plinio, Euſtathio, & Athæneo? An non & Chryſippus, quod refert Cicero, ouũ ſomnianti ſcribit theſaurum contigiſſe: atque coniectorem, ad quem ille ſomnium retulerat, ex vitello aurum, è reliquo argentum coniecisse? Atque alÿ quidam eodem

Vera mandragora Magis.

Lac gallinaceum.

Ouum somnianti thesaurus

Cur pyrites quibusdã lapis philosoph.

vſi veritatis tegumento pyritem quendam ſcripſerunt lapidem eſſe philoſophorum: vtpote qui totus ſulphur ſit, vt prædiximus, & argentum viuum, quibus duntaxat duob. lapis ille conſtat: quòdque viliſsimo pretio ematur, in Germania etiam vbiq; repertus, atque paſsim à viatoribus conculcatus. Quid ſi quis obiecerit ſulphuris eius impuritatem, immunditiem argẽti viui? ad manum ſtatim habent quod reſpondeant, ambo vno et eodẽ ſmegmate mũdari, diſputarique: quod tanto operi inter cætera conuenit. Circunferuntur paſsim & libri, vt diximus, incerto authore, quæſtionum plus quàm cæratinarum & & crocodilitarum, ad obruendũ Cimmerijs, quod aiũt, tenebris legentis animum. Sed redeat, vnde

Operis proprium.

Libri vitãdi.

abe rrauit

aberrauit, oratio. Recensuimus paulò antè eorum, quos in hac disciplina non parum profecisse fama est, tum de materia lapidis, tũ de opere quoq; ipso variè sentientium opiniones. Sequitur vt ordine singulas examinemus. Non enim exiguus est in quaque fucus, aut dissimulatio cognobilis. Nam qui aurũ materiem esse lapidis affirmant, ridere miseram hac in re laborantium conditionem vidẽtur. Cùm enim operis initium debitæ sit materiei corruptio solo igni contracta, ac quasi totius dissipatio ac dilaceratio quædam, seu diuisio in quatuor elementa: quî fieri potest, vt aurum, quod igne quantumuis aucto atque intenso tantum abest vt destruatur, aut corrumpatur, vt longè etiam fiat solidius, atque vegetius,

In eos qui aurum tenent materiam esse lapidis philosophic.

Operis initium

Lapidis materiei qualitates.

istius sit lapidis materia? Porrò qui hac de re veteres scripsere, huic materiei corruptę velut cadauerum inesse fœtorem quendam intolerabilem adnotarũt. Aurum quemnam quæso odorem emittit? Aiunt autem item mollem esse eandem. Quænam autem huic mollities? At, inquies, insunt istęc omnia beneficio alterius cuiusdã rei in auro. Iam refragatur eorundem authoritas rẽ operi isti ascribentium tantùm vnam. Vilem pręterea ac peruiam materiam vociferantur, & in quoque existentẽ homine in ipsum etiam conuerti. At vix quicquam est auro carius, rariusque. Idem verò neque in homine vllo est, nisi fortè in sititium inuectitiumque, neque ita excoqui in homine, ceu ferrum in struthiocamelo, potest, vt in chilum,

Subiectio.

ac tan

ac tandem in ſanguinem, aut carnem hominis digeratur. Quàm item in animum eſt? Inanimum enim eſt omne, quod pulſu agitatur externo. Animalem autem eſſe hunc lapidē affirmant, vel quod ex animali ſit, vel quòd animam habeat, vel vtriuſque potius gratia: quorum nihil iſti competit. Non igitur aurum, vt multi falsò profitentur, lapidis huiuſce materia eſt: Sed nec argentum. Quî poſſet enim, cum igni abſumatur? Lapidis autem materia, vel aſſerente Arnaldo ipſo, res eſt quàmmaximè æterna atque ignibus imperuia. Ergo nec reliqua ductilia metalla vel hoc ſolo nomine, quod ignem perpeti nequeunt, ſiue cum auro: metallo quippe nihil, vti diximus, igni deperdente coniuncta, ſiue ſingula

Cur lapis, animalis vocetur

Argentum non eſſe lapidis materiam nec reliqua metalla.

ſeorſum igni exponantur, Veniamus ad argentum viuum. Nam ſulphur, quod igne facilè conſumitur, ſilentio hîc prætereundũ eſt. Non deſunt enim qui perhibeant argentum viuum, ſiue vt loquuntur, Mercurium, lapidis eſſe materiam. Hinc illa vox, Mercurius eſt lapis, quem honorant philoſophi. Videtur autem magnas in hanc metamorphoſin vires habere. Penetrat enim altiſsimè, atq; magna inficit cum celeritate. Obeſt autẽ ei fuga. Proinde Solem ei docent admiſcendum, Lunamque, hoc eſt, aurum, argentumque, ne ignẽ fugiat. Cui conuenit quòd lapidi patrem Solem, matrem Lunam affingunt, quippe aurum et argentum, vt equidem interpretor. Hęc enim non aliĳs nominibus donarunt. Sed dum iſta percurrimus, vereor

Mercurius quibuſdam lapidis materia.

Vires Mercurij.

Quibus nominibus aurum et argentum donata ſint

vereor ne de Mercurio vulgi, siue argento viuo, quod neq; aurum fuga liberat, neq; argentum, non intelligant. Aliter autem lapidem rem vnam esse, patre sole, matreque luna, mederirique morbis humanis ementirentur. Mercurius enim vulgaris & sol duo sunt longè lateq; inter se diuersa. Porrò, si licet & nobis cõminisci, Mercurius ipse pater est potius Solis & Lunę, quàm filius. Aptus enim erat in metallo suo ad generandum naturaliter Solem & Lunam, ac quodcunq; aliud metallũ cũ idoneo sulphure, vtpote q͏̃ metallorũ auri, argẽti, ęris, stanni, plũbi, ferriq; naturale sit cum eo principiũ. Adhęc quo pacto morbis depellẽdis accõmodari potest, cũ venenũ sit mortiferũ? Quanq̃ tamen Galenus dubitat. Hinc constit, vt

principia metallorũ ductilium.

Argentum viuum venenum, prӕterquã Galeno.

nihil ad hoc opus: quippe quòd totus vulgare eſt argentum viuum & ſulphur. Diximus vulgare. Eſt enim aliud argentum viuum, ipſa nimirum lapidis materia, non ex capillis, aut ſanguine, aut vrina, aut ouis: quid enim iſta ad lapidẽ, aut ad metallum, cùm neque ignẽ ferant, neque metalla agnoſcant, neque animam, tametſi ex animalibus? ſed ex auro & argento vilibus, fœtentibus, ſimul ac ſuaue olentibus, virentibus, animatis, vbique repertitijs, ſed admodum quàm paucis cognitis, in medio freto conſurgens, translucidum, fugax et volatile vſque dum cum ſuo ſulphure coalitum in lapidem abierit integrum: vocatúrque tum apyros, vulgo carbunculus. Aurum autem id et argentum lapides initio Lybicontes ſunt, ac paulò

Materia lapidis philoſo. quid, & vnde.

Deſcriptio materiei lapidis ænigmatica,

paulò pòst Carchedonij, vbi ad Anthracitem adiguntur. Postmodum etiam hoc genus argentum viuum profundunt: cui proximè fusile sal ex stirpe eadem adnascitur. Vtrunque autem, ne palinodiam cecinisse videamur, auri illius vulgaris spiritus est & vita, tametsi aliunde proficiscantur. Proficiscuntur enim ex auro purissimo nihil excrementi habente, & ipsius argento. Sed & vtrunque, ut dictum est, paruo in momento rudi ipsi est plebeculæ: neque aurum fabrile est, neque argentum. Tale enim esse non potest, vbi recens è fodina erutum est, terra circunductum & lapide. Illud adiungo, non videri planè in ea materia aurum, neque argentum, neque ipso actu inesse, quod et Arnaldus scribit, sed potestate duntaxat &

Sal fusile & argentum viuũ philoso. quid & vnde.

Ex auro puro & ipsius argento.

Quid sit materia ipsius lapidis, quod nemo hactenus prodidit.

viribus. Ac ne quenquam diutius his remorer, dicam vno verbo quidnam ea materia sit. Dicam verò ac proferam in conspectum quod nemo hactenus in euoluendis istius disciplinę volumibus aduertit, nec mandauit literis quisquam. Est enim id aliud nihil, quàm sale fusile: quod & ipsum operis nomen præ se fert, halchemia, hoc est, salis fusio. Atque vt id sibi quisque facilè persuadeat, facit, quòd omnem naturam, omne nomen, omnes qualitates, quas ladipidi tribuunt, ipsi possimus sali accommodare. Primùm enim inspiciamus, quod aiunt, lapidem animalem esse vegetalem, & metallicum: præterea vilem, abiecto venditum pretio, semper & vbique repertitium, in mari mediterraneo nascentem, in quolibet

Lapisdis qualitates, nomina, et natura.

existen-

existentem homine, & in quem libet recedentem gignentemq;, facilè liquescentem atq; indurescentem, diuinum, & humano corpori amicissimũ. An non ista conueniunt sali? Sal ipse & animalis est, & animatus, & metallicus. Nõne sal ex animalib. educitur, et vis inest ei penetrãdi quædam velox & admirabilis, expurgãdiq; atq; putredine vindicandi? Quod si Thali Milesio placuit, Herculẽ illum lapidẽ, id est, magnetẽ animatã rem dicere, quia ferrũ trahere & cogere videretur: quin & nos quoq; salem, ꝙ mirè penetret, expurget abstringat, abstergeat, dissipet, reprimat, extenuet, similiter animatum dicemus? Quis autẽ neget animã eum vegetalẽ habere, quippe alterantẽ, augentem, gignentemque? Alteratur sal in Anthracitẽ crescit

Sal animalis.

Magnes lapis animatus.

Salis effectus.

Sal animatus.

& quodam ramusculos plantæ in modum promittens, ipsamq; hydrargyron gignit philosophicam.

Mira salis vis. Quid quod genuiam quandam gignendi vim habere creditur, vel hoc argumento, quod seminalem vigorem expergefacit, acuitque? Sunt autem qui vel solo ipsius linctu mulieres fieri grauidas, indéque geniturae principem Venerẽ

Venus vnde.

é salo natam, quod & Athæneus refert, ac proinde ἁλιγενῆ cognominari dicant. Metalla quoque ipsa

Sal metallicus.

Geber ostendit in salem posse nõ ægrè conuerti: ne quis putet non metallicum salem esse. Reperitur verò & in fodinis ipsis, & in mari mediterraneo, & vbi in omni etiam re naturali composita, & semper: quia ex omni naturali cõposito fieri, idque omni tẽpore potest. Quin & in homine quoq;, ipso

Sal ex omni composito naturali.

ipſo etiam actu, eſt. An non & in illius ſubſtantiam tranſit, ac viliſſimo vænit pretio? Porrò quid ocyùs liqueſcit, indureſcítve? Homerus verò ſalem diuinum appellat. Et Plato ſalem ſcripſit rebus diuinis amiciſsimum familiariſsimumque. Comperimus quoque adagionis titulo cõmoratum, humano corpori nil eſſe vtilius ſale ac ſole. At paulò penitiùs introſpiciamus: qua re potiſsimum egeãt metalla, quæ perfecta non ſunt. Egent verò, dixeris, purgatione præſertim, & tinctura. Quídnam queſo altius, aut celeriùs penetrat, vt cùm colorem habuerit aut album, aut rubrum; inficiat? quid purgat meliùs, quídue magis à corruptione & putredine tuetur? Adde quòd illi ipſi autores ab Heroicis vſque temporibus non ſine

Sal Homero diuinus.

Quibus egeant metalla imperfecta.

magna aliqua cauſa opus iſtuc hal-
Halchemia quid. chemiam, hoc eſt, ſalis fuſionem nominarunt. Quid non igitur & ipſi dicemus, omnes omnium huius artis ſtudioſorum conatus in id debere dirigi, vt ſalẽ indipiſcantur alicunde fuſilem? Niſi enim fuſile foret, haud conquieſceret cum metallis fuſis. Nec verò te ab hac ſententia reuocet fœtor lapidi attributus. Sal enim odorẽ impunè ſecum aſportat eius rei, ex qua concreſcit: vt coniĳcias è rebus prolici
Lapis è rebus fœtidis debere fœtentibus, ſicuti ſunt muliebria, lotium, ſtercus humanum. His accedit quòd lapidem illum nonnulli ſcripſerũt vilia inter ſtercora reperiri. Nec deſunt etiã qui obnixè aſſerant, quorundam eſſe animalium ſtercus: nec qui carnes animalium putrefactas, proindéque animalẽ ipſum appellari, qua-

si ex animalibus: quibus & illud concinit, quod naturam obtinent qualitatibus temperatam animalium carnes: autor Themistius. *Natura carnium temperata.*

Ex ijs dilucet lapidis philosophici materia, huiusq; origo. Superest autem vt doceamus, quo pacto illa, quæ ei sunt origo, in ipsam, hoc est, in salem vertantur, sal vero in lapidem, qualisnam is sit, et cur ita vocetur. Neq; enim verè lapis est: sed similitudinem tantum cum lapide quandam habet. Atque his extricatis, absolutum fuerit quod tum de theorice, tum de practice istius artis fuimus initio polliciti.

Vertuntur autem illa in suum salem igne solo, adeò efficax est. Siue præmollia, siue prædura, verti tamen & demutari in aliam naturam artificio possunt omnia: quod si quis miretur. *Remota materia lapidis in sale igne solo.* *Vis artificij*

Virgil. Ætna.

Cogitet obſcuri veriſsima dicta libelli
Heracleti, & ibi nihil inſuperabile gigni. Denſiſsima,
quod ille ait, corpora ſæpè,

Vis ignis.

Et ſolido vicina, tamen compeſcimus igni.
Non animos æris flammis ſuccumbere cernis?
Lentitiem plumbi non exuit? ipſaq; ferri
Materies prædura, tamen ſubuertitur igni:
Spiſſaq; ſuſpenſis fornacibus aurea ſaxa
Exudant pretium: quædam fortaſſe profundo
Incomperta iacent, ſimiliq; obnoxia ſorti.
Nec locus ingenio eſt: oculi te iudice vincent.

Ignis multiplex.

Sed cùm ignis in hac arte ſit multiplex, videndum quo præcipuè vti nos oportet. Atque ea quidem re magna ſuborta cõtrouerſia inter artis peritos obmanet. Alij enim fimum, nec eum quidem, cuius Columella tres ſpecies facit, ſed equinum, alij vinaceas & acinos, alij calorem cinerum, alij furfuris, alij accenſum elychnium, prunas alij, ac præſertim iuniperi, quòd igne, vt ferunt, integrum annum ardeant illæſo: alij vaporem aquę tepidũ, quod balneum appellant,

ignem

ignem eſſe, huic operi peculiarem aſtruunt. Bernardus Comes Treuerus æthereum quendam ignem circunclusum, & humano calori ſimilem: cui permulti aſtipulantur. Mihi verò ex iis omnibus is videtur inter reliquos eligendus, quem ipſius exigit operis neceſſitas. Interdum enim equino vtemur fimo, interdũ quoq; elychnio accenſo, licibus calidis, atque ardentibus prunis. Nec ab re triplicem caloris conſtituunt gradum: vnum remiſſi, qui operis initio adhibeatur: alterum paulò validioris, quo elementis in vnum coalitis, ad calcem vtamur: poſtremum intolerabilis, cuius ope optatum adſequamur finem. Tota enim vis in igne iacet. Hoc rudem illam indigeſtamque molem in elementa illa quatuor diſcernimus

Ignis ad lapidem.

Caloris gradus ad lapidẽ triplex

diuellimúsque: eadem porrò com ponimus ac cogimus in vnū: hoc vertimus in calcem, inchoatúmq; perficimus. Atque nisi principiò quidem lenis fuerit & mansuetus ignis, conglutinabit constringétque potius, quàm dissoluet: rursum nisi inualuerit, cùm verti in calcem res exposcet, laborem artificis frustrabitur. Vt incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. Quemadmodum autem in omnibus rebus vidēdum est quatenus, & tametsi suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, vt inquit Cicero, quàm parum: ita & in hoc negotio adhibendum est regimen quoddam, ac remittendus potius, quàm intēdendus calor. Sunt enim è numero res istę, quas vnū facere diximus, eorum, quæ Aristoteles contrario motu moueri

Ignis qualis initio & in fine operis.

Descriptio remotæ materiæ lapidis.

moueri alicubi scripsit. Quòd si quis animũ ad eius verba aduertit, haud dubiè dignoscet è quibus electari sal illud fusile ac philosophicum oporteat. Sunt autẽ eæ res eiusmodi, vt tametsi ex eodem fonte scaturiant, igne tamen effundatur altera, cùm altera cõprimitur. Quum enim liquescit fluitq́; corpus, spiritus conglaciat: estq́; idem tempore actus. Quis non tantam rem modò assecutus est? Nempe exequor ista non quod plerique omnes faciunt, doctis tantùm atque harum rerum peritis: sed meæ turbæ, id est, crassioribus imperitisque, quando doctis quidẽ superuacaneus est præceptor. At cùm nullus sit in hac arte locus altiori egens indagine, vt qui non aliter à permultis, quàm αἰνιγματικῶς inducitur, sitq́;

Seræ huius operis irreserabiles. vna è tribus illis huius operis irreserabilibus seris (sunt autẽ, cognitio materiei, vasis inuentio, modus ignis) tum nihil hodie magis patet, nihil est hoc tempore manifestius. Dixi, vasis. Vasorum enim copia nihil ad hanc rem: sufficit satisfacitque vnicum, idque vitreũ receptaculum vtriculi cuiusdam ouíve oblongi figura, vti disiuncta discretaque elementa posint in orbem rotari, mutuoque collisu lapidẽ sortiri alterandi, augendi, gignendiq; viribus conspicuũ atq; incomparabilem. Nam cùm operum omnium, quæ in lapide fiunt, id est, sublimationum, solutionum, destillationum, coagulationum, cereficationum, atque vt illi loquuntur, calcinationum & fixationum hoc vnum sit abundè capax, quid multis eguerimus?

Vas lapidis.

Lapidis opera varia.

Cernitur & in hoc, initio cùm soluitur, atraque materia, póst multicolor, deinde alba & candida, postremò rubra. Sed enim oportet obstructissimum esse, ne inclusus interrnúsque aer seu spiritus euolet ab extero & libero pellectus: quod vix sarciri posset incommodum. Obstruendi autem modus vitrarijs ipsis est familiaris. Succedit, quas ad res conferat, vbi è debita materie, apto vase, conuenienti igne concreuit, atq; ad summam perductus est lapis. Et in hydrargyros maximè, ad parandas opes, in potionibus & catapotijs multum ad sanitatem confert: quod ex instituta Lullij aliorúmque huius loci ratione difficilimum est maximíque negotij expedire. Alterum autem Medicinę est, alterum huiusce artis, nostręq;,

Colores materiæ lapidis.

Modus obstruẽdi vas

Fructus lapidis.

Vsus lapi. dis. quod aiunt, farraginis. Admiſcetur hydrargyro emundatæ ea primùm proportione, vt hydrargyri quantitas decuplo ſit maior: hinc centuplo & chiliade, deinde myriade, pòſt infinitò. Hæc autem fermentandis lapidis videlicet auri argentíque immenſa eſt multiplicatio: huius quidem, cùm in calcem albam & candidam, illius verò, cùm in rubram deſinit. *Quid lapis, & cur ita vocetur.* Quò fit, vt lapis etiam vocetur. Calx enim nihil aliud, quàm lapis coctus. Puluis eſt ita ſubtilis, vt ne minimum quidem ventum ferat. Mirum autem quàm ſit penetrabilis. Sed hæc ipſa te docebit experientia melius. *Tempus ad perficiendũ lapidem* Deſinam itaque, ſi verbum addidero: tempus, quo lapis vel arbore candoréque, vel rubore conſummetur, definitum non eſſe. Hoc vt artificis, ita

&

& naturæ eſt opus: cuius quàm ſit lentus, quámque parum maturatus progreſſus, nemo non videt. Interdum menſibus nouem, duodecim, aut duodeuiginti perficitur, ſed perrarò: interdum, quod ſolet, plus minus triennium cunctatur.

FINIS.

DE IVRE ARTIS ALCHEMIAE:

HOC EST,

Variorum auctorum, & præsertim Iurisconsultorum, Iudicia & Responsa ad quæstionem quotidianam:

An Alchemia sit ars legitima?



EX SIBYLLA

Ἐννέα γράμματ' ἔχω, τετρασυλλαβός εἰμι, νοεῖ με
Αἱ τρεῖς, αἱ πρῶται, δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
Αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά. καὶ εἰσιν ἄφωσα τὰ πέντε,
Τοῦ παντὸς δ' ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσι δὶς, ἠκτὼ
Καὶ τρεῖς τρεῖς δεκάδες, σὺν τέπτα. γνοῦς δὲ τίς εἰμι,
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ' ἐμοὶ σοφίης.

Interpretatio ex Cardani lib. de Varietate rer. X. cap. LII.

CVm in hos ſermones incidiſſem, probari hanc artem illuſtris Emarus Ranconetus præſes Lutetianus demonſtrauit carmine Sibyllino: adeoq́ue ad amuſsim, vt cùm ambigua ſoleant eſſe talium reſponſa, hac in cauſſa clariora Solis luce ænigmatis verba fuiſſe videantur. Itaq; quę ille doctus vir miro expreſsit artifi-

cio, prout ab illo accepi, dum Lutetiæ essem, subiungam. ea autem sunt, Εννέα γράμματ' ἔχω, &c. vt supr. Dicit igitur esse nomen nouē constans litteris, quod quatuor continet syllabas, quarum tres primæ duas tantū cōtinēt literas, reliquę reliquas, scil. tres. In hoc nomine ἀρσενικὸν, videntur omnia pulchrè congruere: nam quatuor constat syllabis ἀρ, σε, νι, κον: quarum primæ tres, duas singulæ continent litteras: quarta & vltima, tres: ita vt sint in vniuersum nouem elementa. Atque hæc omnino clarissima sunt experientia, quæ manifestè Græcè produntur. Subijcit deinde, quòd ex his quinque sunt mutæ, vt intelligamus quatuor tantùm esse vocales α ε ι ο: reliquas quinque appellauit mutas, id est, non vocales, quæ sunt ρ σ ν κ ν.

Inde

Inde addit, quòd numerus, qui literis his ſignificatur mutis eſt, ἑκατοντάδες δὶς ὀκτὼ καὶ τρεῖς τρεὶς δεκάδες: id eſt, bis centum & octies atque ter tribus decadibus continetur: quod eſt, nouies atque octies decem, hoc eſt, centum ſeptuaginta, vt totus numerus ſit C C C L X X. is autem ſignificatur quinque literis mutis, ſi eam quæ replicatur, id eſt, ν, ſemel tantùm ſumpſeris. Nam aſſumptis ρ ν σ κ, tantundem conficitur apud Græcos. ρ ſignificat C. σ, C C. ^ ρ,
ν, L. κ, X X. collecta faciunt C C C L X X. Inde ſubiungit σύν τ'επτὰ. quod eſt, τ, C C C ſignificans, & ἑπτὰ ſeptem, ſcilicet decades, nam refertur ad ſuperiora. Solùm videtur elocutionis congrúa ratio tribus modis repugnare: δὶς ἑκατοντάδες, & ἑπτὰ δεκάδες: &

σὺν, pro cum. Abijcit autem ν, alterum: cum hoc Sibylla haud dicat: & pro χ seu γ legit τ. Nam Codex habet σὺν χ ἑπτὰ, quod est, cum septem scilicet additis: dixit quòd facilè verũ esse posset, inter χ & τ parum interesse, quoad formam. Tandem concludit qui hoc nouerit, non erit suæ sapientiæ expers. In quo & illud mirum videri posset, quod tam procul vates abscedat à proposito. Sed hæc & maiora longè sunt vatum priuilegia, & maximè symphaticarum & phanaticarum. Accedit illud, quòd res ipsa verbis & nominis expositioni congruit, vt aliàs docuimus: nam & arsenico æs in argenti similitudinem transit, & in auripigmento aurum cõtinetur. Si non hoc, aliud quispiam Sibylla indicare poterit valdè vtile. Vtcunq; sit,

ſit, omnino vel admirabilis eſt interpretatio, vel inuentio: ſaltem vt non indigna eſſet libris de Subtilitate, ſi illi iam non perfecti eſſent. Sit igitur in arſenico fundamentum alienius præſentis vtilitatis atque initium operis, ſicut in calchanto initium tranſmutationis ferri in æs: nam & confeſtim color immutatur.

Ex Thoma Aquinate in lib. Ariſtotel. Meteor. 3. ad fin.

Metallorum propinqua materia ſunt ſulphur & argentum viuum, ſicut Alchemiſtæ dicunt: ita quod in locis lapidoſis terræ, per virtutem mineralē generatur ſulphur & argentum viuum: deinde ex ipſis generantur diuerſa metalla, ſecundum diuerſam commix-

tionem eorum. Vnde etiam ipsi Alchemista per veram artem Alchemiæ, sed tamen difficilem propter occultas operationes virtutis cœlestis, quæ mineralis dicitur, quæ ex eo quòd sunt occultæ, à nobis imitari possunt per prædicta principia, vel per principiata ab ipsis, faciunt aliquando veram generationem metallorum.

Ex eodem in 2.2.q.77. art. 2.

Si autem per Alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus caussis ad producendum veros & naturales effectus: sicut Augustin. dicit in li.3. de Trinit. cap. 8. de his quæ arte dæmonum fiunt.

Ex eod. in 2.2. q.96. art.2.

Quòd si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producẽdos, ad quos putantur naturalẽ habere virtutem, non est superstitiosum vel illicitum ijs rebus vel effectis vti.

Ex Suida in dictione χημεία.

Chemia est auri & argenti confectio: cuius libros Diocletianus conquisitos cremauit, propterea quòd Ægyptij res nouas aduersus illum moliti fuerant, quos duriter atq; hostiliter tractauit: eodemq; tempore libros de Chemia auri & argenti ab antiquis scriptos conquisiuit, atq; incẽdit: ne deinceps Ægyptij arte illa diuitias compararent, neu pecuniarum abundantia confisi deinceps aduersus Romanos rebellarent.

Ex eodem in dictione
δέρας.

Vellus aureum, quod Iason per mare Ponticum cum Argonautis in Colchidẽ traijciens accepit, & Medeam Æetę regis filiã. Hoc autem nõ vt poeticè dicitur, sed liber erat in pellibus conscriptus continens, quomodo per chemiam aurum conficeretur. Verisimile est igitur illos per id tempus vellus aureũ nominasse propter fructum & emolumentum, quod ex eo libro percipi poterat.

Ex Plinio. lib. 34. cap. 4.

Aurũ faciendi est etiam vna ratio ex auripigmẽto: inuitaueratq; spes Caium principem auidissimũ auri: quamobrem iussit excoqui magnum pondus: & planè fecit aurũ excellens: sed ita parui ponderis,

deris, vt detrimentum sentiret, illud propter auaritiam expertus: quamquã auripigmenti libræ xiiij permutarentur: nec postea tentatum ab vllo est.

Ex Cardano lib. Subtil. 6.

Quod tamen permutari metalla posint, multis visum est, ob experimentũ æris iam superius adductum. Videntur etiam permutare colorẽ, & pondus ob ignem, quare & substãtiam verisimile est posse permutare. Creditum est etiam quosdam id fecisse, vt apud illustrisimum Venetorũ Principem paucis antè annis asistentibus sapiẽtibus ciuitatis à quodã Taruisino Pharmacopola, cuius rei adhuc manent vestigia. Cumq; herbarum species quædam inuicem, vicisim permutentur, haud mirũ

videri debet metalla permutari posse. Verum non ita se res habet: nam aut nulla, aut non omnia possunt inuicem permutari. Ferrum enim & æs cùm ambo pondere & tenuitate similia existant, nullúmque eorum ignibus resistat: si colorem mutent & duritiem ex altero in alterum possunt traduci, aut verè, aut saltem absque manifesto discrimine reliquorum metallorum nullum in aurum & argentum mutari potest: solum illud dubium est, an argentum in aurum posit mutari? quod fieri posse existimo: nam argento vt aurũ fiat, desunt densitas, ob quam ponderosius fieri oportet: & color, at hæc metallo addi possunt. Si densius reddatur argẽtum pinguedo abolebitur, & ignibus melius resistet, atq; vt dixi pondus acquiret.

Et paulò pòst:

Quod videtur aſſecutus pharmacopola ille Taruiſinus, qui coram principe & ſapientibus Reipub. Venetæ, argentum viuum in aurum commutauit.

IVRISCONSVLTOrum & ſummorum in V. I. D. reſponſa & conſilia ad quæſtionem,

An Alchymia ſit ars legitima?

Ex Oldrado Conſil. 74. de Sortilég. nu. 1.

AN Alchimiſta peccet, vel ſit ars prohibita. Et videtur quòd ſic. & quòd ars Alchimiæ ſit prohibita. quia dicit text. 26. q. 1. c. epiſ. & quòd quiſquis credit poſſe fieri ali

quam creaturã, aut in melius mutari aut trãsferri in aliam ſpeciem, aut in aliam ſimilitudinem niſi ab ipſo creatore, infidelis eſt & pagano deterior. Præterea iſti Alchimiſtæ ſunt multa diſcentes & ad veritatem ſcientiæ nunquam pervenientes. 25. q. 5. nec mirum. Et ſic dant occaſionem multis deceptionibus. nec eſt ſcientia quæ ducat ad pietatem, vt conſueuit dici in Aſtrologia. ar. 27. diſt. ſiquis, & no. Inn. Ext. de ſortil. c. qui. Non enim poſſet fieri ſine auri decoctione, quę videtur à iure prohibita C. de auri pub. perſe. l. 1. lib. x. In contrarium videtur, quòd iſti qui ſtanno, vel plumbo, vel alio vili metallo producũt aurum, vel argentum (dum tamen hoc non faciant per artem magicam vel aliam legibus odioſam: vt dicit lex

C. de

C.de thesaur.l.1.lib.x.)nō sunt reprehendendi, sed potius laudandi. Isti sunt metallarij, qui labore proprio sibi & reip. commoda cōparant. C. de metall.l.1.lib.xi. & iura propter publicam vtilitatem, quæ ex eorum officio videntur resultare, fauent eis. nam possunt inuito domino ingrendi fundum alienum ad metallum, inquirendum. C. de metall.l.2. Et l. quosdam. Et ibi no. quod alias non liceret, de acq.rer.dom.nec ipsi dicunt vnam speciem mutari in alteram (vt eis imponitur) quia hoc non est posibile. Sed dicunt quòd ex vna specie metalli (scilicet stanno) potest alia species metalli (scilicet aurum) produci. Nec hoc est inconueniens. nam & videmus, quòd quandoq; ex re mortua producitur viua: vt videmus

in vermibus, ex quibus producitur ſericum, & alijs pluribus. Et ex herba producitur vitrum. Multo magis ex metallis, in quibus eſt maior conuenientia, & ſimilitudo. Nam (vt ipſi tradunt, & habetur in libro de Proprietatibus rerum in c. de alchemia) omnia metalla procedunt ex eodem principio, ſcilicet ex ſulfure, & argento viuo. Sed ex virtute elementorum quędam habent maiorem influentiam in vno loco, quã in alio, in vna mineria fit ſtannũ: in alia argentum, in alia aurum, et ſic de alijs. Cum ergo ars imitetur naturam. ar. ff. de adopt. l. ſi adoptio non videntur iſti Alchimiſtę peccare, ſi per virtutem iſtam, quę eſt in herbis, vel lapidibus, vel elementis volunt de ſtanno facere argentum. Nam cum ſint quaſi ex eodem

eodem principio & ſimilia, in ha bentibus ſimbolum facilior eſt tranſitus, Inſtit. quibus mod. toll. obl. §. 1. Multę enim ſunt virtutes inſitę herbis & lapidibus 16. q. fi, c. fi. Inſunt enim (vt dicit beatus Auguſtinus) rebus corporeis per omnia elementa quędam occultę ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis prorumpāt in ſpecies debitas, ſuis modis & finibus 26. q. 5. nec mirũ ci. re, fin. Si ergo ipſi hoc attribuũt Deo, nõ videntur peccare, Prætera video quod non eſt magna pœna in eo qui dat, ſiue obligat ęs pro auro, etiam ſcienter, ff. de pig. act. l. 1. et de crim. ſtel lion. l. 2.

Ex Panormit. super c. ex tuarum. De sortileg. Extr.

Sed iuxta prædicta potest quęri de alia quæstione, quam facit & ponit Oldrad. consil. 69. nũquid archimia sit prohibita, et nunquid eam exercentes peccent. & videbatur quòd sic. quia vna species conuertitur seu transmutatur in aliã, cum plumbum efficiatur argentum, vel æs aurum. &c. Sed citra Deum nemo potest vnam speciẽ in aliam transmutare: vt 26. q. 5. in §. quisquis ergo. Oldrad. tamen concludit oppositum: quia immo vna species non mutatur in aliam diuersam, cũ omnia metalla procedãt ex eodem fonte, videlicet ex sulfure et argento viuo. Sed vbi est melior influẽtia astrorum, ibi producitur metallũ pretiosius

tiosius. Vnde per influentiam astrorum, & cũ herbis et lapidibus (quibus insunt multæ virtutes) potest naturaliter vna species metalli cõuerti in aliã speciem magis preciosam: quod est notandum.

Ex Io. Andr. in addit. ad speculat. tit. de crim. falsi.

De Alchimistis dubitari solet, an incidant in pœnam falsi. quidam eis adaptant verba Pauli 2. ad Tim. 4. in prin. quę vide 26. q. 5. nec mirum ibi. et iuxta Pauli sen tentiam &c. similiter multis deceptionibus dant caussam: nec est sci entia pietatis. 37. dist. si quis, dicitur, etiam illam artem vbi ad aurũ tenditur non fieri sine auri decoctione, quod est lege prohibitum. C. de aur. pub. persec. l. 1. lib. xi. In contrarium qui ex magisterio ar-

tis ſine arte magica, vel alia legib. prohibitis, C. de theſau. l. vna li. x. de vili metallo facit pretioſum, cõmendandus eſt: quia in hoc auget remp. C. de metall. l. 1. lib. x1. et iſti metallarij priuilegiati ſunt cõtra præalleg. l. vna de theſ. & ff. de acq. rer. dom. l. 3. vt ingredi poſſint alienũ fundũ eo inuito. et eod. tit. de metall. l. 3. nec mutãt vnam ſpeciẽ in aliam diuerſam, ſed vnã metalli ſpeciem faciũt meliorẽ, vt de ſtãno vel ære argentum vel aurũ. nec mirũ cum videamus ex vermib. produci ſericũ, ex herba vitrũ vt habetur in li. de prop. rerũ vbi de alchimiſta: quia omnia metalla procedũt ex ſulphure et argẽto viuo. ſed ex virtute elementorũ maior eſt influẽtia in vno loco quã in alio, ex quo euenit, quòd vno loco vel minera fit ſtannum, alio. argen

tum

tum alio aurum. Cum igitur ars imitetur naturam ff. de adopt. l. non videntur Alchimistę peccare, si per virtutem herbarum lapidum vel aliquorum elementorum meliorant metallum in metallũ preciosius, cũ ambo eiusdem speciei & principij fuerũt. Facit Inst. quib. mo. toll. obl. post princ. consentaneum est verbis tolli quod verbis inductũ est. Aug. dicit in lib. de Ciuit. dei quòd sunt in rebus corporeis per omnia elementa quędam seminarię rationes occultę, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis atque causalis prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Habetur hoc ad literam 26. q. nec mirum, ante medium cap. Item videmus quòd non est grandis pœna illius qui etiam scienter dat ęs pro auro: tenetur enim crimine stellionatus, cuius pœna est extraordinaria ff. de pig. act. l. 1 in fi. & de crim. stell. l. 2. Plus nostris diebus habuimus magistrum Arnaldum de Vilanoua in curia Ro. summũ medicum & Theologum, de quo scripsi de obser. ieiu.

consilium qui & magnus Alchimista virgulas auri quas faciebat cōsentiebat omni probationi submitti.

Ex And. Isernino, in Tit. feud. Quæ sunt regaliæ.

Quid de Alchemia & Alchamistis? dic, quòd si faciunt aurum sophisticatum non debere vendere pro puro, quia est falsitas. nec liberatur sophisticatum soluendo. ff. de pig. act. l. eleganter, §. qui reprobos. electum non est aurum. ff. de leg. 1. l. 4. Si verò faceret verum aurum, non quòd cuderet pecuniam principis inde sine iussu principis, hoc aurum esset facientis. quia non est illicitum verum aurum pro vero vendere. Nil. n. prohibet arte vti aliquib. naturalibus causis ad producendum veros

ros et naturales effectus, sicut dicit beatus Aug. de Trini. de his quæ arte dæmonũ fiunt. h.d. Thomas 2.2. q. 79. de his quæ fiunt circa voluntariam permutationem. q. 2. Quid de Alchamia. adde. vtrũ liceat facere Alchamiam. dic. sec. Oldra. in Consi. suis: quòd sic dummodo non fiat per artem magicam, vel per aliam artem legib. odiosam. Vide in summa Angel. in verbo Alchamia. Bart. ab hor.

Ex Baldo Perusino, in eund. tit. feud. num. 5.

Item monetæ: id est auctoritas faciendi monetas publicas. And. de Iser. quærit hîc, de his qui faciũt Alchemiam: & dicit, quòd si impenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, sine aliqua falsificatione formæ, vel materiæ, non puni-

tur Alchemista: quia est ars perspicaci ingenio inuenta, & tanquam à philosopho. Super hoc etiã consuluit Dom. Oldr. in consil. suis, & loquitur Io. and. in addit. Specul. in rub. de crim. fals.

Ex D. Fabiano de mõte S. Seuer. in Tract. de emp. et vend. quæst. 5. num. 8.

Sed hîc quæritur incidenter, an alchimista, vel faciens alchimiam, puniatur de falso. Dicas quòd nõ, quia est ars perspicaci ingenio inuẽta, vbi expenditur tantũ pro tãto, & tale pro tali sine aliqua falsificatione formę vel materiæ, secũd. And. de Iser. & Oldra. in consilijs suis, vt refert Bald. in d. c. 1. quę sint regal. Idem etiã tenet Io. and. in addit. Spec. in tit. de crim. fals. in rub. hoc in super firmauit Abb. Sicul in c. 2. de sortileg. vbi allegat Oldr.

Oldr. in cõsil. 69. quod licet non possét vna species in aliam cõmutari, nisi a Deo, 26. q. 5. c. episcopi tñ hic vna non transmutatur in aliam, cũ omnia metalla procedant ex eodem fonte & origine, scilicet ex sulfure & argento viuo: sed vbi est melior influentia astrorum, ibi producitur metallũ preciosius, vnde per influentiam astrorũ et cum herbis & lapidib. pretiosis, quib. insunt multæ virtutes, potest vna species metalli in aliã transmutari magis preciosam, secundum eum. Sed aduerte, quia sanctus Thom. secunda secũdę q. 77. dicit hoc verum quãdo sciretur ars vera, et fieret verum aurum: quia nihil prohibet vti arte naturali: alias dicit hoc non esse tutum, si daretur aurum alchumicum pro vero, cum multæ proprietates insint in vero quæ non sunt in alchumico

vt lætificandi & multas infirmita tes depellendi.

Ex Alber. de Rosato in Diction. in verbo Alchemia.

Alchimia an sit licita, vide ĩ Alchimia. & vide ĩ emptio. §.5. Alchimia vide ĩ emptio, vers. ex hoc patet. An Alchimia sit ars reprobata, & an Alchimista peccet, videtur quod sic: quia si quis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius transferri in aliam speciem nisi ab ipso creatore, infidelis est & pagano deterior 26. q.3. ca. episcopi circa fi. Item Alchimistæ multa discunt. & ad veritatẽ scientiæ nunquã perueniunt. e.c.7. qui nec mirum circa medium, ex quo dant causam multis deceptionib. nec est scientia quæ ducit ad impietatem vt cõsueuit dici de astrologia

logia.ar. 37. dist. c. si quis. & no. per Innoc. ext. de sortileg. c. 2. Alchimia enim non potest fieri sine auri decoctione, quę videtur à iure perhibita c. de auri pu. persecut. l. 1, lib. 10. In contrariũ quod qui stagno vel plumbo, vel alio vili metallo producit aurum vel arg. dumtamen hoc non faciat per artem magicam, vel aliam legibus odiosam: vt dicit l. 1. lib. 10. C. de thesau. non est reprehendendus: tales enim sunt metallarij, qui labore proprio sibi et Reip. commoda comparãt. C. de metall. l. 1. lib. 11. & iura propter publicam vtilitatem quæ ex eorum officio videtur resultare, eis fauent. nam possunt inuito domino ingredi fundum ad inquirendum metallum l. 2. & l. quosdam. Et ibi no. quòd alias non liceret; vt ff. de acq. re.

dom.l.2.et d.l.1.de thes. lib.x. nec ipsi dicũt vnam speciem immutari in aliam, vt eis imputatur: quia hoc non est poßibile, sed dicunt quòd ex vna specie metalli potest alia species trãsferri, vt aurum vel argentũ. nec hoc est incõueniens nam videmus aliquando ex re viua produci mortuam, vt in vermibus producentibus sericum, & ex herba producitur vitrum. multo magis in metallis in quibus maior est conuenientia. nam ipsi dicunt & notant in libro de Proprietate rerum de alchimia, omnia metalla procedunt ex eodem principio sc. ex sulfure & argento viuo, sed ex virtute elementorum quædam habent maiorem influentiam in vno loco quàm in alio, & in vna minera fit stannum, in alia argentum, & in a-

lia aurum: & sic de aliis. Cum ergo ars imitetur naturam, vt ff. de adopt. l. adopt. non videntur Alchimistæ peccare, si per virtutem herbarum, lapidum, vel elementorum faciunt de stanno argentũ. nam cum sit quasi ex eodem principio & similia in habentibus simbolũ facilior est transitus. Instit. quib. mo. toll. obl. §. 7. multæ. n. sunt virtutes insitæ herbis et lapidib. 16. q. vlt. c. fin. Insunt enim vt dicit Augustinus rebus, corporis per omnia elementa, quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & causalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus. et vigesima sexta q. 3. nec mirum, circa finem & decimasexta q. vlt. circa fin. Si ergo ipsi attribuunt Deo non

videtur peccare. Et nõ est magna pœna pignorasti æs pro auro etiã scienter, vt ff. de pig. act. l. 1. Et de crim. stell. l. 2. d.

Idem Alber. in Dict. in verb. emptio

An venditio reddatur illicita & inualida propter defectum rei venditæ vel propter eius bonitatem latentem. dicit Tho. in 2. 2. q. 77. ar. 2. circa rem quæ vẽditur triplex defectus considerari potest, vnus secundum speciem rei, vt si vendatur aurichalcum pro argento, aut vinum aqua mixtum sicut purum. alius defectus est secundum quantitatẽ ponderis vel mensuræ, vt si quis scienter vtatur pondere defectiuo, vel mensura iniusta. tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si animal infirmum

mumvendatur quaſi ſanum. In his tribus caſibus ſi venditor ſcienter offenderit, fraudem committit, & venditio eſt illicita, & tenetur ad reſtitutionem. ſi verò ignoranter, non peccat, tamen cùm ad eius notitiam peruenit, tenetur compenſare damnum emptori.

Et ex hoc patet quòd illicitum eſt vendere aurum vel argentum alchimicum pro vero, quia non eſt purum, ſicut eſt verum aurũ. nec habet omnino eaſdem proprietates: ſicut eſt lætificandi. nec valet etiam contra certas infirmitates ſicut verum aurum. Si verò per Alchimiam fieret verum aurum non eſſet illicitum vendere pro vero, quia nihil prohibet arte aliquibus naturalib. cauſsis ad producendos veros & naturales effectus, ſicut dicit Auguſtin. in lib. de

Trinitat. De his quæ arte dæmonum fiunt.

Ex Alberto Bruno in tractatu augmenti & diminut. monet in 1. præsuppositione. num. 13. & 14.

Iuxta prædicta habemus aduertere, quod in moneta vt sit proba, tria principaliter consideranba, tria principaliter considerantur, scilicet materia, forma & æstimatio, seu valor. iuxta l. 1. coniuncta l. fin. cum ibi notatis, C. de vet. num. libro xi. Et not. per Bald. in capit. quanto, De iureiurand. Debet enim primo materia esse proba. d. l. 1. & l. 1. § 1. ff. De contr. empt. & d. c. quanto. Vnde non liceret de Alcumia cudere monetam, quod est intelligendum de sophistica, non de ea quæ reperiretur

retur

retur esse verum aurum vel argentum, quod esse potest iuxta notat. per Ioann. And. in addit. Specul. in Rub. de crimin. fals. qui refert tacito authore verba Oldr. cuius solet esse fur. in cons. 74. incipiente, An Alchymista, & per Panor. Et latiùs Ioann. And. in capit. 2. de Sortileg. Et Bald. & Andr. de Isern. in cap. 1. in titul. quæ sint regal. in vsib. feud. Et per S. Thomã secund. 2. quæst. 92. Vbi concludunt, Alchimiam esse veram scientiam & permissam. De quo aliquid per Albertum de Rosato in Diction. in verbo Alchimia. Et dicit Ioann. Andr. vbi suprà quod suo tempore fuit Magister Arnaldus de Villanoua, summus Medicus & Theologus, & magnus Alchimista, qui per illam artem faciebat virgu-

las aureas, quas consentiebat omni probationi summitti. Et fecit in illa scientia librũ vnum, qui mille homines depauperauit: aut quia non verum, aut quia non intelligitur. Et cùm haberem quendam socium in legibus, multum insudantem in illa arte, volui videre vnũ mirabile experimentum ad effectum, vt plura scirem. Nam habuimus nobiscum vnum antiquũ Alchymistam, pauperrimum tamen. Et me præsentę ille meus collega reduci fecit vnam vnciam argenti preciosissimi ad instar auri, in pondere, fusione, cum malleatione, saluo colore: quia non erat croceus, sed mutatus ad instar quasi plumbei coloris. Et ille collega meus habebat modum dandi colorem ei croceum. Et illa materia patiebatur & sustinebat aliqua

qua experimenta, ſed non extremum experimentum, & admixta cùm tantundem auri pretioſi videbatur aurum viginti caracterum, & plus & minus: ſecundum quòd illa materia erat melius diſpoſita, Et quidam magnus prælatus, ac multi antiqui Alchymiſtæ mirati fuerunt de illo experimento. Et vnus antiquus Alchymiſta putãs ſe diuitem, putabat reducere illam materiam ad veram ſpeciem auri: & non potuit: putauitque ipſam artem illuſoriam, maximè ex quo tot viri in quadraginta aut quinquaginta annis non viderant tam notabile experimentum, quod nihilominus erat ſophiſticum. ita vt aliud experimentum videre noluerim. Nec liceret inconſulto principe materiam æream immiſcere in auro vel argento cudẽdo:

per l. quicunque nummos, ff. de fals. & notatur in l. 2. C. qui fals. monet.

Ex Guidone Papa in singular. 388. §. de his.

De his qui faciunt Alchimiam, vtrum debeant puniri? Dic quòd non. dum tamen faciant sine aliqua falsitate materiæ vel formæ: quia est ars pro ingenio adinuenta, tanquam à philosopho. Ita dicunt Andr. de Iser. & Bald. in c. 1, quę sunt regal. & refert Bald. Oldradum sic consuluisse in suis consilijs.

Ioan. de Platea in l. 1. ca. ad R. C. de argent. pret. quod thesaur. infert. lib. 10.

Quæro incidenter, dictum est suprà de persecutoribus & exoctoribus auri naturalis, quid de per-

perſecutoribus auri artificialis, an Alchimiſtæ tale aurum licitè perſequantur & ſolui poſsit, an vero cõmittant falſum. Io. And. in add. Spec. in tit. de falſ. cõmendat alchimiſtas, qui ex magiſterio artis ſine re magica vel alia lege prohibita l. vnic. C. de Theſaur. de vili metallo faciunt pretioſum, nec mutant vnam ſpeciem in aliam diuerſam, ſed vnam metalli ſpeciem faciunt meliorem, vt de ſtanno vel ęre argentum vel aurum: procedunt enim omnia metalla ex ſulphure & ex argento viuo, ſed ex virtute elementorum in vno loco fit ſtannum, in alio aurum, in alio argentum, & ſic de ſingulis. Cùm igitur ars imitetur naturam. l. adoptio. ff. de adoptione, non peccant Alchimiſtæ, ſi per virtutem herbarum, lapidum

vel aliorum elementorum vnum
vile metallum in pretiosius redu-
cunt, cùm ambo fuerint eiusdem
speciei & principij. Insunt enim
rebus corporeis per omnia ele-
menta quædam seminariæ ratio-
nes occultæ, quibus cùm data fue-
rit opportunitas temporis atque
causalis, prorumpunt in species
debitas suis modis & finibus, di-
cit lex. 26. q. 5. nec mirum. Et de
isto Alchymista vide Andr. de I-
sernia & Baldus in tit. quæ sint
regal. col. 10. Quia tamen talis o-
peratio multis subiacet deceptio-
nibus, vt d. c. nec mirum. nec est
scientia pietatis. 37. dist. si quis
grammaticam, consulo ab eius ex-
ercitio abstinẽdum, quamuis ma-
gister Arnald. de Villanoua sum-
mus Medicus & Theologus, &
magnus Alchymista faceret in cu-
ria

ria Romana virgas aureas, quas cõsentiebat omni probationi submitti. Hæc quidem operatio si in piam causam conuertendam peragatur, Dei omnipotentis permissione perficitur, δ ε. nec mirum χθ. nec ideo quisquam. &c. 37. dist. legamus.

SEQVITVR CONTRARIA *disputatio Angeli in Summa. in verbo Alchimia.*

VTrum liceat facere Alchimiã? Respondeo: Oldradus in consiliis suis tenet quod sic, dummodo non faciant per artẽ magicam vel per aliam legibus odiosam, vt dicit l. vnica, C. de Thesaur. quia tales metallarij sunt, qui labore proprio & sibi & Reip. commoda comparant. C. de metall. l. 1. &

iura propter publicā vtilitatem, quę ex eorum officio videntur resultare, fauent eis. nam possunt inuito domino ingredi fundum ad metallum inquirendum l. 3. & l. quosdam. & ibi no. C. de metall. quòd aliàs nō licet. d. l. vn. & ff. de acq. rer. domin. l. 3. Ratio est, quia (vt dicitur in lib. de Proprietate rerū in o. de Alchim.) omnia metalla procedunt ex eodem principio: scilicet ex sulphure & argento viuo, sed ex virtute elementorum quæ habent maiorē influentiam in vno loco, quàm in alio, in vna mineria fit stannum, in alia argentū. Cùm ergo ars imitetur naturam: ff. de adopt, l. adoptio, non igitur est peccatū, si per virtutem quæ est in elementis aut herbis alchimistæ de stanno volunt facere argentum. quia cùm sit in eodem

prin-

principio, & in habentibus ſymbolum facilior ſit trãſitus ineſt, quib. mod. tol. obl. §. 1. Cùm multæ virtutes ſint inſitæ herbis & lapidib. 26. q. 5. nec mirum. circa medium. Sed de his non obſtantibus, credo quòd ſit illicita, ex multis reſpectibus tum primò, quia nullus inuenitur qui habeat verã huiuſmodi artẽ, licet dicatur de multis: ſed falſum ex experiẽtia, tum quia videmus, quod cõmuniter ipsã facientes multa conſumunt, & à cõmuniter accidẽtibus eſt ſtandũ. Vnde de ipſis dicitur ad 2. Timot. 3. Semper addiſcentes, & nunquã ad veritatis ſcientiam peruenientes: experientias multas faciunt, & nunquã ad perfectũ attingunt tempus vitamq; conſumunt: nec id quod operantur habet veritatem cum auro vel argento, ſed ſolum appa-

rentiam, ideo ſimpliciter ſunt con demnandi alchimiſtæ. Et hoc euidenter probatur, quia nemo in publico eam vult facere, vt appareat quod male agunt, quia odiũt lucem. Et ſi aliquando aliquid veri faciunt, aut fit cum damno, computatis expenſis, vel ex aliqua deceptione imponendo aurum verum, vel aliqua fallacia diabolica, quæ, vt eos attendere faciat huiuſmodi, facit eis verum aurum ex appoſitione auri veri occultè aliquãdo. Cum ergo ſit tale exercitium contra vtilitatem publicam, vt patet ex conſumptione rerũ, & quia (vt communiter) faciũt ex his monetam falſam. Ideo ſimpliciter ſunt condemnandi eam facientes.

CON

CONCLVSIO EX HIEronymo de Zanetinis, qua disputationi & argumentis Angeli respondetur in c.1.Ext. de accusat.

AN Alchimia sit peccatum, & ars reprobata? Alber. in Dict. iuris ciu. in ver. alchimia arguit, & Io. and. in addit. Spec. in tit. de crim, falsi. Io de Ana. in c.2. de sortileg. & Pet. de Anchar. in c.1. eod. tit. Bald. in c.1. quæ sunt regal. & Tho. secunda secundæ q.77. ar.2. et finaliter videntur tenere, quòd non videntur peccare, si attribuūt Deo: quia non mutant vnam speciem in aliam (vt eis imponitur) quia hoc est impossibile: sed dicunt, quòd ex vna specie metalli (scil. stanno) potest alia species metalli (scil. stanno) aurū, vel argen-

tum) produci. Nec hoc eſt inconueniens. Or videmus quandoq; quòd ex re mortua producitur viua, vt in vermibus, ex quibus producitur ſericum. . nam omnia metalla procedunt ex eodem principio: ſcilicet ex ſulphure, & argento viuo: ſed ex virtute elementorum quædam habent maiorem influentiam in vno loco, quàm in alio, & in vna contrata fit ſtanum, in alia argentum, in alia aurum, & ideo eſt licita: dummodo non fiat per artem magicam, vel aliam legibus odioſam. leg.1. Cod. de Theſaur. libro decimo: ſunt enim laudandi. Adde tamen Summam Angelicam, in ver. Alchimia, quæ tenet, quòd ars iſta ſit illicita ex multis reſpectibus: tum primò, quia nullus inuenitur qui habeat huiuſ-

modi

modi veram artem, licet dicatur de multis: ſed falſum ex experientia. tum quia videmus, quòd communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum. Vnde de ipſis dicitur illud ad Timot cap. tertio, & d. c. nec mirum. 26. quæſt. 5. ſemper addiſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Experientias multas faciunt, & nunquam ad perfectum attingunt: tempus vitamque conſumunt. nec id quod operantur habet veritatem cum auro vel argento, ſed ſolùm apparentiam. & ideo ſimpliciter ſunt condemnandi Alchimiſtæ. & hoc euidenter probatur: quia nemo eã in publico vult facere: vt appareat quòd malè agunt: quia odiunt lucẽ, & ſi

aliquando verum faciant, aut fit
cum damno, computatis expen-
sis, vel ex aliqua deceptione, im-
ponendo aurũ verum, vel aliqua
diabolica fallacia: quæ vt eos at-
tendere faciat huiusmodi facit eis
verum aurum ex appositione au-
ri veri occultè aliquando. Cùm
ergo sit tale exercitium contra v-
tilitatem publicã, vt patet ex con-
sumptione rerum, & quia vt com
muniter faciunt ex his monetam
falsam, ideo simpliciter sunt con-
demnandi eam facientes. Ego ve-
rò teneo communem opinionem:
artem istam esse licitam, quia ra-
tiones summæ Angelicæ non con
cludunt artẽ ipsam esse illicitam,
eò quia nullus habeat artem ve-
ram: quia hoc non est ex defectu
artis, nec etiam aliæ rationes con-
cludunt: vt de se patet. Et idem
te-

tenent Tho. & Alber. An autem lucrum ex Alchimia ſit licitum, & venditio reddatur iniuſta, dicit Tho. vbi ſup. quod ſi per alchimiam fit verum aurum, non eſt illicitum ipſum pro vero vẽdere: quia nil prohibet vti arte & aliquibus naturalibus ad producendos naturales effectus: aut non habet veram ſpeciem auri, & eſt iniuſta venditio, poſtquam eſt aurum ſophiſticatum.

Thom. Arſoncini I. V. Doctoris de iure alchimiæ reſponſum.

Ad propoſitam quæſtionem breuiter reſpondeo: ſi communis Doctorum opinio facit ius (vt inter omnes peritos conſtat) ſequitur vt alchimia ſit licita. Verum eſt autem antecedens: quia Oldrad. Bald. Ioh. And. Panormi-

tan. And. Isernin. Alber. de Rosat. Alb. Brun. Guid. Pap. & alij complures tam ciuilistæ quàm canonistæ illam comprobarunt. Vnus solus contradicit Angelus, in sua summa angelica. Sed preterquam quod vnius Doctoris contra communem nulla est authoritas, vt omnes sciunt, certè fuit vnus magnus Cononista, Hieronym. de Zanetin. qui in c. 1. de acusat. omnibus & singulis ipsius argumentis exactissimè respondit. Hoc est fundamentum adamantinum ex authoritate magnorum & clarorum Doctorum, & iurisconsultorum: vt omittam aucturitatẽ Thomæ de Aquino, qui duobus aut tribus locis Alchemiam apertissimè comprobauit. Plinius quoq; lib. 34. cap. 4. scribit. Caij Imp. temporibus fuisse Alchemistas.

Neque

Neque ad rem pertinet quod dicit, illorum artificium non fuisse quæstuosum. Primum quia in quæstione, an Alchemia sit ars licita: non quæritur, an sit lucrosa, & fructuosa: sed tantum, an iure diuino vel humano prohibeatur. Deinde quia fieri potest, vt illi artifices, de quibus loquitur, non satis periti fuerint: cum alij peritiores esse potuerint: vt vulgo dicimus, inter artifices latam esse differentiam. l. inter artifices, ff. de solut. Mira sunt præterea, quæ Suidas de Alchemia et artificiosa auri cõfectione narrat: quod Ægyptij potuerunt alere bellum diuturnũ contra tyrannum Diocletianum, freti arte sua: id est, aurificio.

Sed videamus alia quædam argumenta. Scribit enim Aristot. lib. Metaphys. 2. & 4. quòd ars na

turam in quibusdam imitatur: & quod multa naturalia confici & perfici arte possunt: & Colchotar & Calchantum exempli causa nominat, dicens, quod illa duo atramenta non tantùm nascuntur in mineralib. sed etiam confici arte possunt. Tertium exemplum ponatur de Sale. Nam (vt ait Plin. libro 31.) sal. aut fit, aut gignitur. In Polonia est sal minerale, in Gallia est factitium, & huius eadem est proprietas, natura, & efficacitas, quæ illius. Quartum est Electrum quod Plin. lib. 33. cap. 4. & multi alij scribunt esse non tantum naturale: sed etiam factitium. De quo factitio & artificiali textus loquuntur in l. 4. ff. de legat. 1. l. 7. §. voluntas, ff. de acq. rerum dom. §. si duorũ, Inst. de rer. diuis. Quintum est argentum viuum:

uum, quod prædictus Plinius libro trigesimotertio capite octauo dicit esse aliud natiuum, aliud factitium: & hoc ad alterius differentiam nominat Hydrargyrum. Guillelmus Philander in commentarijs Vitruuij, quatuor eius genera numerat: duo natiui, & duo factitij: atq; ibidem ostendit, & chalybem, & sandaracham, & æruginem, & calchantum, & cinabrium, alia natura gigni, alia hominum arte confici.

Quę cùm ita sint, non absurdè cõcludere possumus: sicut ars in tam multis alijs naturam imitari potest, non esse incõueniens dicere, illam etiam in auri & argenti operatione naturam imitari posse.

Certè Cardanus libro de Subtilitate decimosexto scribit, & multi dicunt sibi hoc esse cognitum, ꝙ

ex ferro poteſt fieri cuprum chalchanto adhibito, & Cardanus eodem lib. teſtatur pharmacarium quendam Treuiſanum, coram illuſtriſsimo principe Venetorum & ſapientibus ſenatorib. argentū viuum in aurum conuertiſſe. Verum eſt quòd Iulius Scaliger negat, ſe id credere, ſed nititur argumento infirmo, videlicet, quòd ſi Veneti hoc vidiſſent, qui tanta ſunt auaricia (vt ipſe ſcribit) vt etiam cum Turca hoſte Chriſtiani nominis fœdus faciãt, nunquam illum pharmacarium dimiſiſſent: ſed tormentis eum coegiſſent artem ſuam reuelare: & fortè eum in Sabato ſuſpendiſſent. Sed veriſimile eſt, pharmacarium illum fide publica, fortaſsis etiam obſide, aut alia ſecuritate ſibi cauiſſe & pouidiſſe. Nec certè de omnibus

bus omnia suspicari honestũ est. Illud constat, innumerros, et superioribus seculis fuisse, & nunc esse graues viros, qui eam artem factitarunt: & sibi quæstuosam fuisse prædicarunt. In quibus fuerunt Albertus Magnus, Comes Treuisanus, Augurellus, Auicenna, Geber, Lullius, Bonus Ferrariensis, Morienus, ac Tolod. & præsertim Arnal. de Villanoua, summus medicus. Videmus etiam nostris temporibus Ioh. Fernelium in arte medica principem existimatũ in suo libro de Abdit. rerum caus. eandem artem ad vnguem tenuisse: & in ea exercitatũ fuisse, quamuis circa finem ioculariter ex trib. Augurelli versibus incautum lectorem eludat. Vnius autem illius Fernelij authoritas aliorum multorum medicorum contradi-

centium auctoritati (vt quidam dicunt) præponderat.

Sed principaliter, & ante omnia, in quæstione. An ars aliqua sit licita: considerandum est, An diuino aut humano aliquo iure sit prohibita. Nam licita aut illicita ita discernuntur. l. 1. ff. de concubin. l. cum senatus. ff. de reb. dub. l. 1. & per tot. ff. de colleg. & corporibus. Quantum ad diuinam scripturam, certè nullum textum reperio, vbi Alchemia & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator diuinus Moses in Leuitico & Deuteronomio persequatur. Neque puto illũ magis prohibuisse distillationes & alembicationes, & auri argentiúe confectionem, quàm iocalium, & annulorum, et cæterorum eiusmodi ornamentorum

rum

rum conflaturam: quib. Salomõ & alij reges ornabantur. Quantus etiam laminarum, & bractearum auri vſus apud populum Dei fuerit, præſertim in templo Ieruſalem, nemini ignotum eſt. Quantum autem ad ius ciuile, certe nulla litera in Digeſtis, Codice, Inſt. vel Nouell. oſtendi poſſet, quæ id prohibitionem Alchemiæ pertineat, quin potius Fuſorum ars cõprobatur, & laudatur & præmijs decoratur. l. 1. C. de excuſat. artific. Sic Vaſcularij fuſores frequenter nominantur, quaſi artem (ſine controuerſia) legitimam exercentes. in l. apud Labeonem. §. vlt. ff. de præſcript. verb. l. vlt. ff. de obligat. & action. l. penult. ff. de aur. & argent. legat. Et de Metallarijs, quòd legitimã artem exerceant, dubitari nõ poteſt ex tit. Cod. de

Metallarĳs, lib. xi. Quantum ad ius canonicum, opponi solẽt duo textus: sed facile est vtrique respõdere Primus est in c. spondẽt. Extrauag. de crimine fals. Vbi Papa Ioannes xxii. Alchemistas reprobat: non tamẽ eos morte damnat, sed tantum infamia perpetua. Sed textus ille non est infinite & generaliter scriptus de omnibus Alchemistis: verum specialiter et proprie de ĳs tantum, qui (vt textus verba proferam) aurum vel argentum Sophistica transmutatione confingunt. Quare ad eos, qui non reprobum, adulterinum, sed probum & verum aurum conficiunt, textus ille non pertinet. Sicut Ioh. Andr. in addit. ad Specul. testatur, Arnoldum de Villanoua suo tempore facere solitum virgas auri, quas omni probationi sub

ni ſubmittebat. Itaque omnes Do ctores tam ciuiliſtæ, quàm canoniſtæ non curarunt illam extrauagantem Papæ, vt ſuperius diximus, quin etiam Ioh. Augurellus Magnus poeta, opuſculum ſuum de Alchemia liberè dedicauit & præſentauit Papę Leoni x. cui gratiſsimum illud munus fuiſſe conſtat. Hæc igitur ad illum textum reſponſio ſufficiat: vt illud omittam, quod multi hodie non recipiunt authoritatem illius legislatoris, qui fuit Papa: & dicēt, quòd ſi in vno capite authoritas illius approbatur, etiam in altero capite proximo, vbi de Franciſcanis et alijs monachis quædam pro ſuo libito conſtituit, & approbenda eſſet. l. qui nō cogitur. ff. de iudic. Alter textus, qui opponitur, eſt in c. epiſcopi. 26. q. 5. qui tempus di-

citur ex concilio Anquirensi, & sic scriptum est: Quisquis credit posse fieri aliquã creaturam, aut in melius, aut in deterius trãsformari in aliam speciem, vel aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, infidelis est. Primùm ridiculosa est allegatio ex cõcilio Anquirensi quod nunquam fuit nec esse potuit. Corrigendum est AQVILEIENSI: sed magis de ridicula est allegatio illius textus vbi damnantur, qui credunt transformationem fieri in aliam speciem. Certè nihilo magis hoc pertinet ad nostram quæstionem, q̃ꝫ quòd Imp. scribit, possibile esse res omnes in pecuniam conuerti: l. 2. C. de constit. pecun. nam textus ille non loquitur de speciebus metallorum, aut similium rerum, sed de speciebus personarum: hoc est, de mu

de mulieribus ſortilegis, quæ dicebant, quod noctu transformabãtur in varias ſpecies animalium, et per ſyluas ac nemora cum Diana vagabantur. Itaque in §. ſiquidem Sathanas (inquit textus) tranafor mat ſe in diuerſarum ſpecies perſonarum. Quare deridiculũ eſt, textum qui de diabolica transformatione perſonarum loquitur, contorquere ad transformationes metallorum, quæ induſtria & ſolertia quorũdam artificum fieri poſſunt, ſine vllo diabolico vel magico artificio: vt Thomas de Aquino in prædictis locis oſtendit. Quin etiam textus eſt ſub eadem quæſt. in c. nec mirum: vbi ſic ſcriptum eſt: Inſunt rebus corporeis per omnia elementa, quędam occultæ ſeminariæ rationes: quibus, cum data fuerit opportunitas tem

poralis aut caſualis, prorumpunt in ſpecies debitas. Addam etiam illud, quod legibus noſtris comprobatur medicamentum factum ex venenis, aut rebus venenatis, quaſi ea, quæ natura venenoſa ſunt, arte & ſolertia emendari & commutari ad ſalubritatem poſſint, vt de Mithridatico innuit textus in l. quod ſæpe, § venena, ff. de cont. empt.

Reſtat illud argumētum, quod multi alchimiſtæ faciunt falſam monetam: multi etiam fuerūt ſortilegi, impij, athei, necromantici. Dicitur etiam quod Ræmundus Lullus & Paracelſus fuerunt magicis artibus inquinati. Horum diſputatorum laudanda eſt pietas et probitas: ſed tamen rogandi ſunt, vt cogitent, artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe.

Quoniam

Quoniam aliud eſt ars, aliud artifex. Aliud eſt vſus artis, aliud abvſus. l. quicunq; & l. ſeq. ff. ad leg. Corn. de falſ. Vbi ars monetaria probatur: ſed tamen damnantur qui nummos aureos aut argẽteos tinxerint aut finxerint. Sic in l. 1. ff. de extraord. cognit. artis medicæ profeſſores laudantur, inter quos tamen dicuntur eſſe impoſtores, qui incantationibus & imprecationibus & exorciſmis vtuntur. Sic Mathematica ſimpliciter damnatur in l. 2. C. de malefic. cũ tamen non omnes mathematici damnandi ſint, ſed impoſtores ſoli. Sic venenarij capite puniuntur in l. capitalium. §. venenarij, ff. de pœn. cum tamen ne venena quidem ipſa damnentur, vt modo dictum eſt ex l. quod ſæpe. ff. de cõt. empt. Quod ſi artes propter arti-

ſicum abuſum damnandæ eſſent, quænam hodie probaretur? An Iuriſprudentia, in qua tot ſunt rabulę? an Medicina in qua tot ſunt veneficij? an Theologia, in qua tot ſunt Sophiſtæ? Iudicium igitur et delectus adhibeatur. Separentur paleæ à granis in area: mali piſces à bonis in ſagina: adulterini nummi à probis in Repub. Sophiſticãtes aurum vel argentum à peritis artificibus, acerrimæ contra falſarios & monetæ corruptores animaduerſiones, inquiſitiones, informationes conſtituantur. Sed (vt ait Iuriſc.) alieni admiſsi pœna ab ijs quos nulla culpa contingit, remoueatur. l. vlt. d. bon. damnat.

FINIS.

coll. compl.
A.

18-

11.